ALEXICACVS CHYMIATRICVS:

PVRIS PVTIS, MENDACIIS, ATQVE CALVMNIIS atrocissimis IOANNIS OBERNDORFERI,

Quibus,

Laruatus ille medicus, Apologiam suam, chymico-medicam practicam nequissimo ausu iniuriosissime consarcinauit;

Oppositus

Asserendæ veritatis, & famæ integritatis suæ iure,


A

MARTINO RVLANDO, PHIL. ET MED. D. & Cæsar. Maiest. Personæ S. Sa. Medico, & a cubiculo chymiatro.



Missus ab Auctore Francofurtum, prostat apud Palthenium.

ANNO M. DC. XI







ILLVSTRI REGIMINI,

Quod est Ambergæ, Electorali.



Ρμα τῆς πόλεως, quod est, Iustitia, ab hinc multis annis vobis iacet. Et friget ibi loci, vbi maximopere vigeat. Querimonia non vnius ciuitatis, non vrbis; sed prouinciarum; imo totum Rom. Imperium ista personat. Vos laudem administratæ iustitiæ laudabiliter adepti prædicari hactenus videbamini: Id audiui cum voluptate. Quid enim imperio vniuerso, ad salutem & incolumitatem plurimorum, potest euenire conducibilius, quam si ciuitates, si non singulæ, at earum nonnullæ, Iustitiæ studio exerceantur. Hinc firmum pacis & tranquillitatis, in hominum societate robur. In Protagora enim: θεὸς δείσας περὶ τῷ γένει ἀνθρώπων μὴ ἀπόλει-το πᾶν, δωρεῖται ἀνθρώποις αἰδῶ τε, καὶ δίκην, ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί. *id est, Deus metuens, ne totum genus humanum interiret, donauit hominibus pudorem & iustitiam, vt essent ciuitatum ornamenta, & vincula, & amicitiæ conciliatrices. Sed molestum mihi nunc est, existimationem hanc vestram, Apologia Oberndorferi, hominis impudentissime mentientis, atrocissime calumniantis, per mortes medicinam nequiter facientis, stolide scripitantis inuectiuis pestilentissimo veneno afflicta, iterum fœde contaminari, diruiq;. Intra enim muros vestros, & complexum Reipub. recepta, publicata. Et typis Forsterianis, adiutore Ingolstettero vestro, homine ad criminandum dicendumq; male, lingua admodum fæcunde instructa, si non auctore. Ius enim non est Oberndorferi, sed vespertilionis. Quis autem attonitus mente, vt putet, vos famosis libellis delectari, auresq; ex-*

hibere calumniatoribus patentes? Polluitur auctoritas vestra, & iustitiæ illud encomium vilescit, mei immerentissimi flagellatione probrosa & infami, typis vestris approbata. Itane vos vesaniam, virulentiamque Oberndorferi & Ingolstetteri nequissimorum hominum probabitis, & typis factum vestris defendetis? Quid in vos & vestrã prouinciam peccauit? Rulandus vlliusne culpæ reus? Si inculpata vita, si medicatio proba, vt est, cur in vestro regimine, a vestro ciue, vestroq; typographo infamem in me libellum, & iniuriosissimum cudi, nec cudi tantum, sed & edi, nec edi tantum, sed & spargi passi estis? Hoc neutiquam iustitiæ recte exercitatæ documentũ, sed argumentum iniquissimi regiminis & nescio quo titulo afficiendi. Hoc constitutionibus Imperialibus e diametro aduersum. Eos vos homines auctoritate vestra defendetis? Eis patrocinabimini? Huiusmodi scelerum, mendaciorum, conuitiorum, impudentia, nequitiæ vos participes facietis? Iustitiæ gloria tale quippiam de vobis suspicari vix concedit. Vestrarum itaque partium, videre, quid de atrocissimo promacho Ingolstettero, nebulone illo (certum enim mihi ipsum esse eum conuitiorum, mendaciorum, calumniarum & Apologiæ totius nequissimum fictorem ab impotente senio Oberndorf. subornatum) satyraque iniuriosissima chalcographo ex officio statuere debeatis. Si frigebit hoc iustitiæ, vos Herodoti: ὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν ὐκ ἀποτίσει, & constitutionum Imperialiũ pœna manebit. Quanquam non dubito, furiale & nequissimum hoc sodalitium ex Oberndorfero & Ingolstettero pari nebulonum conflatũ, quod nunquam non improbum, impudicum, mendax, maledicum, omnis pietatis & eruditionis expers, & iure omni, tum Constitutionibus Imperialibus viri boni nomine, honore priuatum tam rabiosa maledicentia apud omnes bonos famam honorificam dudum perdidisse, & cũ ignominia ad inferos descensurum. Vos valete & voto applaudite. Pragæ 29. Aug. Anno 1610.

V. Si Iustitiæ acres propugnat.
amicus Seruitor.

Martinus Rulandu[s]

Lectori Candido.


On ſunt dies decem, quo libellum famoſum, quem Apologiæ titulo inſcribit infamis Oberndorferus, accepi, non Oberndorferi. Verborum enim lenocinia non illius. A pueritia is neſciuit Latine loqui, Italice lallare, ſed perperam ſcit. Ad fucum conuitiis & mendaciis oblinendum ſuis, acceſſiuit ſocium, ſe ſi nõ deteriorem, at certe æque maleficum. Qui enim lenocinıũ facit, res omni flagitii genere cõſpurcatas mãgoniſando, nequior eſt eo, qui mercimonia praua, vitioſa, improba venumdat. Nequiſſimus, ſi ad iſtius mercimonium ex ſuo acceſſionẽ facit. Sodalitium hocce eſt Ambergenſe, Electorale, quod improbum hoc mercimonium exponit, publicat, & vt inuẽdibili merci emtorem adducat, verbis lenocinatur. Ne ve deprehendatur mangonium, locus fucatur, ſolius mẽtione calcographiæ facta. Nequam itaque agit cauſam per veſpertilionem. Hic interdiu latet. Noctu prorepit, pungit, terrtat, permingit non quoſquis, non nigricantes & ſui ſimiles, ſed candore reſplendeſcentes. At horum adhæſu emoritur miſere. Ego, qui ſum, qui fui, exploratũ bonis & laudatis. Homo ſum, ſed bonus. Oberndorferus per veſpertilionẽ omnib. probris me permingit. Perminxit. Sed fœtor lotii diſparebit natura. Adhæreſcet is dumtaxat natura defœdatis; ſi ſimile gaudebit ſimili. Eſto itaque virus venenatis, ſceleſta ſceleſtis. Quamq; ſcio mephitim venenatiſſimam iam diſcuſſam, & veſpertilionẽ mictu ſuo periiſſe, & candoris atq; integritatis famæ meæ ſplendore dilaceratum. Non erat otium, non tempus, omnia ad examen reuocare. Nec videbatur vſque adeo opus. Nugamenta enim pleraque, cetera conuitia, mendacia. Itaque [illegible] deproperaui id, quod vides. Ignoſce ſi quid pecca-[illegible]uid neglectum. Si Devs, & officium permiſerit, ad [illegible]num futurum, manumittam exercitationum

theoreticarum,&pragmaticarum lib. primum & ſecundum, cum chymiatria, ad oculos demonſtratura, Oberndorferum mendaciſſimum eſſe, iniurioſiſſimum, nequiſſimum; Veſpertilionem vero profligatiſſimum, bacchantiſſimum, & indoctiſſimum, ſcilic. alia eſſe paterna medicamenta; aliam meam medicinam, ſolide confirmatam experientia λογικῇ, & λόγῳ ἐμπειρικῷ. Vale, & de bonis & probatis viris, non niſi candide iudicato, ſi bonus haberi cupis, calumniantiumque adeo atrociter virulentiſſima ſputa pedibus conculcato.

AN-

ANTIΘETIKON
εἰς ἀδολεσχότατον τὸν ᾀδοποιητήν

APOLOGIÆ CHYMICO-MEDICÆ PRACTICÆ IOANNIS OBERNDORFERI.



Visquis es, istius qui carminis auctor es & re
Futilis & verbo, quod tibi nomen? ai.
Dicere quando pudet, dicam ipse Tenebrio, caco,
Perpetuum talis carcere dignus homo est.
Ortus erat vomitus, quum carmina tanta legebam,
Quæ iacis in niueos scurra petulce, viros:
Dum quandam nugis laudem captare videris,
Stultitiam prodis turpiter ipse tuam.
Quot vitiis scatet istud epos? pius obstruat aures:
Sordibus his nullus se maculare velit.
Si tam septennis vitiose scribat ephebus:
Incidat in ferulæ verbera lenta mea.
tibi parcamus? bibedum nequissime, non sit:
Intritum labiis exede tute tuis.
Innocuum lingua noli lacerare RVLANDVM:
Quem magni (& merito) Cæsaris aula facit.
Ἄτρωτος παῖς ἐστὶ Θεοῦ: *offendere noli,*
Pro quo vel pietas ipsamet arma gerit.
Probrosos titulos, quos tu, vesane, Rulando,
Proijcis, hos omnes esse putato tuos.





EXCVSSIO CHYMI-CO-MEDICORVM PRA-CTICORVM

IOHANN. OBERNDORFERI,

Titulo Apologiæ, ſed virulentiſſimæ & iniurioſiſſimæ euulgatorum.

EXCVSSIO TITVLI.



TITVLVS eſt: *Apologia Chymico-medica practica Johann. Oberndorferi, Com. Palat. Caſ. &c. aduerſus illiberales Martini Rulandi perſonati medici calumnias.* Splendidus titulus; quia hedera ſuſpendenda, quando vinum non eſt vendibile, ſed vappa. Apologiam indigitas: Quo iure, qua fronte? Quis te offendit vnquam? Rulandusne? Mentiris homo. Non ſat eſt effutire, ſed probare. Si offenſiones, ſi calumnias meas in te probaueris, feram æquo animo tuam apologiam; ſin deficis, explodenda tua apologia. Et quæ tua apologia? Eſtne hoc ἀπολογεῖσθαι omnes chartas, omnes lineas, omnia verba iniuriis atrociſſimis, cõtumeliis acerbiſſimis, ementita diabolice eructare? Calumniari hoc eſt; inſanire hoc eſt; & hominis non boni, nõ offenſi, ſed rabidi, & offendentis, & Diaboli. Quid cũ Palatino Comite, titulo emendicato? ſc. vt vino ranceſcenti, ſed venũdando color illinatur fucatus. Mirum, Principũ Germaniæ archiatrum non eſſe affictum, vt tuus verſificator te præfinxit. Lux enim mũndi eras.

Excuſſio proœmii.

Proœmium auctoris perſonati & calui apologię atrociter calumniantis conſtat occaſione cauſſiſque variis, tum partitione. Id autem totum commendatione ſui ipſius abſoluit; ſe videlicet ab incunabulis pacem amaſſe ſemper, ſimulque quietem publicam vnice amplexum, minime-

queque dissidiis & cõtentionibus addictum; imo ab eis toto pectore abhorruisse; & amplius cum collegis suis pacifice vixisse, cumque eis de grauissimis morbis e fundamentis medicinæ contulisse, neq; vnquam ad hunc vsque diem vel verbis, vel facto aliquem læsisse, vel minimam peperisse molestiam. En propria laus calumniator! At hęc dicitur sordere. Si ea laus a vere laudatis viris proficisceretur tibi, sane pretio digna foret. Tibi vero temetipsum laudanti & deprædicanti fides non habetur, quia calumniator, quia actor. Verba vana esse, tuũ os impudens, omnibus abhinc notum annis multis, quibus omnes promiscue dilacerare es solitus, satis euincit Gratii dum vixisti, habuistine pacem cum omnibus tuis collegis? ne dixeris. Omnibus enim antecellere volebas, ideoque alto supercilio præ te contemnebas reliquos. Hinc tibi natum odium apud tuos collegas te doctiores longe. Vis nominari? Clarescunt, ideoque ipsi loquentur. Ratisponæ dum vixisti, quæ fuit pax & concordia tibi cum D. Stolzio, cum D Meiero, cum D. Zuingero. D. Meierum adeo odisti ob Chymiæ studium, vt ne ei in ἐυλογίᾳ viuenti, in tractatu tuo de venenis transscripto, ideoq; vndiquaque compilato, aliquando minus feliciter opiatum suum exhibenti, peperceris. Hic est animus tuus ab odio & inuidia abhorrens scil. Nihil iam de me dicam: Discussione apologiæ tuæ iniuriosæ patebit, quam fueris pacis studiosus. Amplissimo Senatui Ratisponensi tuum cerebrum rixosum, superbum ita est exploratum, vt veritus hactenus fuerit de te iustas sumere pœnas. Negabas te subiectum ei, licet sis ciuis, nec agnoscere ipsius in te imperium; appellabas ad Serenis. Principem Palatinum: Hoc intonuisti fulmine. Quid? Tuummet os te conuincit mendacii. Hoc enim nunquam debacchatur in bonos, improbos; litebatos, illiteratos; principes & inferiores. Nunc exspuis sputa belli publici, nunc priuati: Quot ex te verba, tot ructus biliosi. Nihil in te mite, nec mitis natura esse potes. Iam quale os loquentis, tale cor. Ex abundantia enim cordis, os loquitur? At os tuũ omni tempore biliosum, id quod non credenti cottidiana cõuersatio persuadebit, vbi inprimis minus palato eius sapida dixerit. Nam qui se Oberndorfero submittit, qui hominem natura arrogantem extollit, ad omnia eius dicta & facta adblanditur, a te is mehercule amabitur vicissim, extolletur adusq; ad supremum aerem, non tamen ad cœlos, ad quos ipse, vt archiater Germaniæ Principum & lux mundi pertinet. Sed quid de Rulando? Cum hoc ille pacifice viuere non potuit. Quare? Quia ipse, simul ac Ratisbonam appulit omnibus pharmacopœis & Medicis vitæ morumque integritate ornatissimis mouit litem. Subsiste Domine: Pharmacopœi tũ [illegible] quatuor:

Caussa 1. quo minus pacifice cum Rulando viuere potue-

Omnibus quatuor? Si vni adhæsi, superfuere tres. Cum his tribus itaque mihi fuit lis. Sed quæ qualis? Mentiris homo. Cum vno & primario, fateor, mihi erat controuersia; sed iure, quo tenetur Medicus suam defendere famam, tum Facultatem. Scisne quid meum cum illo iurgium? Medicina erat præscripta, quæ exhibita nobili virgini inefficax camarinam potius mouit, quam dimouit. Hanc pharmacopolium ingressus incusabam vetustate perditæ virtutis. Quod pharmacopœus me senior moleste ferens, me protinus se iuniorem conuitiis lacessit & iurgio. Hæc est caussa litis non data, calumniator. Nec vllam præbui ansam aliis Medicis mecum rixandi. Lacessitus certe, homo sum, pro virili restiti. Quis enim calumniantem atrociter amice ferat, intra muros viuentem collegam ciuicos? Pacem interim, quantum in me erat, habui cum omnibus. Testor non homines, sed meam conscientiam & Deum. Mendacium apertum item, calumniator, est, me in Magistratum maledicum fuisse. Pesti Reip. & affini tuo male facta & acta obiicere, non est maledicere Magistratui: nisi velis ex vnica persona & affini tuo integrum constituere Magistratum, quem ille quidem haud raro, ceteris cũctis spretis, si non per omnes regiminis sui annos, sibi turpiter attribuit. Et hæc prima caussa, quamobrem, calumniator, stylum aduersus me adeo furiose stringas? Quid te aliorum attinent dissidia, calumniator? Nempe, quia liues & ad conuitiandum natus.

rit Oberndorferus & caussa virulentissimi huius scripti.

Sed quæ est altera caussa virulentissimi calumniatoris scripti & potissima, scil. visitatio pharmacopæi Erndtlini a Rulando castigata. Vt innotescat omnibus bonis hæc caussa, quæ fax & tuba fuit omnis tumultus & dissidii, excutienda. Visitatio illa Rulando vt olim, ita & nunc improba & iniuriosa erat. Quid? Nonne pharmacopœos & horum pharmacopolia quotannis excutere decet, & omnem decet Rempub. bene constitutam? Vtique. Et hoc aio cuiuslibet boni esse magistratus. Sed hanc visitationem improbam fuisse assero & probo, ab adiunctis tum caussis male & improbe affectis. Adiuncta occupata fuere Paulus Ionas Wolfius; Elias Eppingerus, Oberndorferus & Solfleisch (qui olim sic nominabatur; sed quia ipsum iam pudet sui nominis minus apte terminantis, Pharisaica humilitate commutauit *fleisch* in *fleis*, vt iam non *Solfleisch*, sed *Solfleis* dicatur) & spectator frater meus Andreas Rulandus. Hic ne mutire quidem fuit ausus. Princeps vrbis tum præerat examini, gutta rosacea, Elephantia perfusus, vt vultus terrore, ne dum vi sua prærogatiua, cataphractos equites perterrefecisset, aderat; Quis? Paulus Ionas Wolfius, qui vt me, ita & pharmacopœum cane peius & angue oderat; quia

2. Caussa Satyra Oberndorferiana. visitatio scil. pharmacopolii Erndtlini.

erat lupus & nos oues, inter quas & hunc naturalis antipatheia. Duo lumina Facultatis medicæ me Vatiniano odio, quod tamen pharisaica pelle egregie tegere potuerant, sunt prosecuta. Improbi ergo & illegitimi examinatores, tum quia iidem actores. An autem examen rei controuersæ, actoribus & suspectis personis conueniat, Iurisconsulti respondebunt. Erant & iidem inepti: Subiecta enim occupantia, erant medicamenta istis bonis viris examinanda, quorum tamen nomina non intellexerunt, vt ipsi fatentur. Erant & composita, vt nullo sensu potuissent explorare. Vanum igitur examen; imo improbum & iniuriosum ob visitationis adiuncta talia. Quibus autem caussis moti hi domini visitarunt mea medicamenta? Respondent ipsimet: Iamdudum enim ad aures vestras peruenerat, quod Rulandus ex rebus vulgaribus & vilibus lucrosam & quæstuosam faceret medicinam, dum sua arcana, seu, vt Empeirici loquuntur, magnalia (quæ prætextu secretioris medicinæ in aliquot, vt vulgus vocat, receptulis consistere sibi & imperitis persuadent) partim intra proprios conficeret lares, partim pharmacopœo suo, ceteris omnibus spretis, conficienda daret, vt is ære magno & precio, sed iniquo, venalia extruderet. Id autem in eum finem ab his duobus excogitatum, vt alter alterum mutuo officio efferret laudibus, commendaret, & magno studio suos quisque promoueret conatus, tum in vrbe tum extra eam famam sibi cōpararent apud rerum imperitos, &c. Caussas comminiscuntur multiplices visitationis:

Arrigite aures calumniatores.

1. Quia Rulandus mercaturam exercebat suorum medicamentorum lucrosam. Mendacium hoc est pingue Diaboli incarnati?

2. Quia intra proprios conficiebat lares medicamenta. Et hoc mendacium Diaboli incarnati?

3. Quia pharmacopœo suo, ceteris omnibus spretis & pro nihilo habitis, conficienda tradebat, vt is magno pretio venalia extruderet. Et hoc mendacium mendacissimi?

4. Quia hoc ab his duobus excogitatum, vt alter alterum laudibus efferret, commendaret, lucro vnice inhiando, &c. Mendacium calumniatoris! Hæ sunt caussæ quæ impulerunt examinatores ad visitandum pharmacopolium. At caussæ, sunt fictæ & emētitæ. Ergo & visitatio ipsa. Dispicite de Emplastro mendaces. Verum mirum Senatui amplissimo vel Lupo potius, qui tū sedebat ad clauum Reipub. solus, punibilem vel examinabilem pharmacopœum visum fuisse, quod is solus confecerit mea medicamenta; & ego vituperandus, si intra lares & domi meæ præparassem medicamenta. Hoc enim est sibi contradicere; mandatum pro

prium doli, fraudis, iniquitatis arguere. Non fuisse prohibitum, medicamenta non solum medicum ipsummet efficere, sed & vni & recentioribus instructo pharmacopœo eadem concredere, ex verbis clare patet instructioni Germ. olim in Ratisp. poliatrum recepto traditæ insertis, quæ sic sonant: Item. Ein jeder Medicus soll keinem Krancken einige Artzney/ wie die auch seyn oder genennet werden mag/ geben / es sey denn dieselbige durch einen geschwornen Apotecker / bey welchem er die Materialia am frischesten vnd gerechtesten weiß / oder aber durch jhn Herrn Doct. selbst in der Apotecken / oder bey den Krancken ordentlicher weiß zugerichtet vnd gemacht. Si itaque quod mandatum erat ab amplissimo Senatu exsecutus sum, quid ringeris calumniator? imo quid calumniaris? cur visitatione vestra iniqua Senatusconsultum tollere nequiter attentastis? Hoccine mandatum Senatus dolosum, fraudulentum? Quot sunt Respub. bene constitutæ, quarum poliatri vni adhærent pharmacopœo, eique qui reliquis diligentia, industria & sobrietate anteit? Et hoc erit fraudulenter, dolose, inique agere, calumniator? Tune cum Solfleischio tuo omnibus Ratisponæ pharmacopœis eras amicus promotor? Mentiris calumniator, si adfirmas. Iam Brunnerum commendasti; nunc hoc deserto confugisti ad maledicum Westphalum Iungium, & qui te sequitur simius Solfleischius, qui te aiente ait, negante negat, ideoque tibi magnus Medicus. Nonne tibi opiatum, quod magni venit, domi diuendendum? Ne nega: personæ adsunt, quibus exhibuisti care ceu aureũ thesaurum. Taceo, te & Solfleischium medicamenta in pharmacopoliis parata accipere, caligas vestras iis distendere, & pretio pro ordinaria taxa numerato domum deportare, ægris postmodum dimidio pluris vendere. Verum id esse, pharmacopolas & ægros testor: ipsemetque vidi Solfleischium medicamentis onustum domum properasse, iam parata pecunia emtis. Mendacium cumulatur, me reliquos pharmacopœos contemsisse & pro nihilo habuisse. Quanquam enim reliquis omnia non crediderim remedia conficienda, aliqua tamen concessi, nec in decernẽdis eorundem medicamentis rarus. Quod autem reliquos in consortium non adsciuerim remediorum chymicorum, caussa erat segnities eorum, & quod ob veteramentariorum medicamentis plenarum pyxidum non vendibilibus possessionem, recentia renuerant, ne sumtus eis suppeditabant, obsoleta abiicere, & recens præparata & spagyrice elaborata substituere. Ementita itaque omnia, calumniatores: Et tamen re patefacta ansam Senatui datam fuisse blateras? Patefacta? Fingere mercaturam, conuentionem & contractus dolosos, estne patefieri? Nam patefactio non dedit NB.

Senatui anſam, ſed vos veſtris mendaciis & calumniis præceptori Lupo, anſam præbuiſtis furioſorũ more irruendi in pharmacopolium. Et hæc eſt res patefacta ſcilicet mendaces: Inuidia enim patefacta in me veſtra: hæc, hæc vos incitauit aduerſus me. Dolebatis enim intime, me vocari ad plures ægrotantes, nobiles, ignobiles, ſummos, infimos. Iſtæ inuidiæ dolor coegit vos, vt pharmacum me diffamandi & premendi hoc excogitaueritis.

Excuſſio nomenclaturarum quibus inſignita erant medicamenta Rul.

Inuidiam veſtram plurimum adauxit nomenclatio meorum medicamentorum, vobis pagus Bohemicus. Quid? peritiſſimis medicis non ſunt obuia iſta nomina: *Pneumatopicron: Alcohol: Diacydonites catharticum; Aqua antipodagrica: Oleum Heraclinum: Oleum catharticum; anthorheubarb. Spiritus catharticus: Melanophygon.* Reliqua nomina non ſunt mea, ſed in cerebro calumniatoris nata. Ridiculane hæc ſunt verba, hæ voces peſſimæ, quibus ne exercitatiſſimi diuiniare res queant? Nonne, calumniator, vocabula hæc artis? Negas? Græcus es, videri talis cupis? Scias ergo quid ſit *catharticum*: Scibis & *pneumatopicron, melanophygon.* Cetera in Spagyricorum libris, paſſim occurrunt, in quibus quia hoſpitaris, mirum non eſt, Arabica pigmenta iſta tibi eſſe; argumento ſcilicet, te vt in ſpagyricis, ita & in Græcis plane rudem eſſe. Deſine itaque cauillari nomenclationes meorum remediorum, quibus vt veteres, ita & recentiores Zuingerus, Heurnius ſunt vſi bona & docta intẽtione. Si licuit antiquis certa ratione bonaq; ſuis medicamentis imponere nomina barbarica monſtroſaque, pauca non barbarica, aliud *hieram picram, becchicos nigros, diacurcuma, bezoartica, theriacalia, diateſſaron, roſatam nouellam, looch, pilul. cochiar. plirisarcoticon*, &c. vocitando, etiam mihi licebit puriore nomenclatione & vſitata lingua mea pharmaca donare. At licuit priſcis: Ergo & mihi. Quomodo ergo mentis monſtroſæ & ingenii inuerecundi certum hoc indicium calumniator? Et his nomenclaturis vel inuidere vel fallere volui: niſi & veteres medicos ac philoſophos hieroglyphice paſſim ſcriptitantes aut inuidiſſe aut fefelliſſe ſuſpiceris. At tute ex ingenio tuo diſtorto, peruerſo, & nequam iudicas omnes. Cur ergo, ais, noua impoſuiſti nomina tuis? rogas? Quia nouum veſtimentum induerunt, ideoque nouum nomen induant neceſſe eſt. Nouum autem vt non eſt veſtimentum, niſi tibi rudi, & tuæ farinæ aliis, ita nec nomen nouum.

Rulandus ſua medicamenta non monſtroſis, ridiculis & ſuſpectis: ſed vſitatis & Græcis indigitauit nominibus, quæ ſi Oberndorfero ſunt ſuſpecta & incognita, ruditatem ſtolidã & nequitiam hominis agnoſcunt boni & literati.

Excuſ-

Excussio censuræ ad ampliss Senatum Ratisp. Oberndorferi & Solfleischii de visitatione improba pharmacopœiarum.

Meminisse velim bonum lectorem, Oberndorferi me vomitus biliosos aduersus me iniuriose eiectos, & hos, *me venenatis uti medicamentis* (ita enim chymica remedia censebat) aliquot annos patienter tolerasse, licet iuuenis & φιλέικον sæpius remouere in animo habuerim. Indefinitæ namque, me præsente, erant calumniæ, rictus, vomitus, ructus interim cholerici, vt sæpius & ægris & mihi cũ laruis luctari fuerit visus. Me vigente, &, Deum testor summum, eius personam passim commendante, sed, nescio quo fato, iacente, vt superbus est natura, cum collega nostro Solfleischio commẽti sunt, præside Lupo, homine certe nauci & cutetenus & pilotenus, artem visitationis pharmacopoliorum, & sub specie hac meorum medicamẽtorum diffamandorum, strenue interim negantes, se accusare mea medicamenta venenositatis, examinanda tamen. In testimonium huius & suæ innocentiæ conquirunt non solum medicos excellentes, sed & inprimis serenissimum Ducem Philippum Ludouicum Palatinum, cum literæ ad Senatum calumniatorem excusantes, sequentur. Attendere iam te velim bone Lector, quales strophæ bardorumistorum calumniatorum aduersus me fuerint. Negant calumnias & accusationem veneni meorum medicamentorum, idque docent testimonio sereniss. Principis & aliorum. Sed ante testimoniorum editionem ad Senatum Ampliss. Ratisp. hæc censura de me & pharmacopœo ciue Ratisp. est ab ipsis edita, quæ examinabitur a me, qua examine digna, mendaciis & calumniis ad retorsionem missis, & ostẽdetur, & me & mea medicamenta iniuriosissime ista censura apud Senatum delata, me tum Ratisponæ licet practicante, & viuente, & ciuiliter cum ipsis etiam calumniatoribus.

Techna Ratisponensium politrorum aduersus Rulandum.

NB.

Ad censuram.

Sed etiam ne fraus deprehendatur, a nouis istis noua excogitentur vocabula, noua (si Diis placet) remedia, de quibus nec pharmacopœo quid constat, & quæ non sine ægri detrimento ab ipsomet eorum architecto adhibentur. Quæ hæc censura Critici? vt vocabula, ita & remedia vobis negaui noua, & probaui abũde in propugnaculo chymiatriæ. Chymico-Pharmacopœo de iis non constare, mendacium est. Quandoquidem enim illa pharmaca, qualiacunque sint, ex simplicibus siue mineralibus siue vegetabilibus cõstant, & ambo iurato pharmacopœo perspecta esse oportet; meus aũt (vt vos vultis) iuratus pharmacopœus Ratisp. & modus pparationũ notissimus eidem; videre nõ possum, quomodo de istis medicamẽtis phar-

Clariss. Dn. D. Theodoricum me reuocat. Vrget grauius compositionem. Remedia proponit reconciliationis non ingrata vtrique. Annuo, non repugnante Oberndorfero. Auctoritate Principis deletæ iniuriæ, obliteratæ calumniæ: pax redintegrata: fides data de non amplius offendendo: personalia omittendo, res ipsas tractando candide. Atque sic discessum. Atque actus hic cum Rulando optime de Repub. Ratisbonensi merito est celebratus. Exemplum scilicet sæuientis rabiose inuidiæ in Christianos & tyrannidis editum. Omnem, boni viri, fidem exuit, dum calumniator nullo rubore suffusus impudenter mentitur, me tum Electoris Saxoniæ Legatos rogasse, ne quid intermitterent, sed omnes neruos intendere vellent, sedulo vt reconciliatio animorũ fieri posset. Documentum mendacii, en Nobilissimi Gödelmanni tum Legatum in aula Cæsarea Saxonicum agentis epistola: *Huc referendum testimonium Legati Saxo. Electoris.* Et quia non semel verecundiæ fines transiit, ideoque eum gnauiter impudentem esse oportet. & atrocius scribit mendacium inquiens: Ante autem nostrum discessum impensius instat, euicitque instando, interponente se inprimis ipso Sereniss. Principe, culpam & iniuriam mihi a se illatam cõfitetur, ac in vnum vestri ordinis hominem, cuius anima nunc Deo viuit, huius tragœdiæ, exacerbationis, & diuturni odii auctorem & stimulatorem in omnium præsentia transfert. O os impudens & mendax! Qua quæso fronte, qua conscientia in publicum audes adeo aperte mentiri, cumulare conuitia conuitiis? quam iniuriam tibi illatam, quam culpam sum confessus, quam deprecatus? Sed quia effrons excellenter, & ex mendaciis & fallaciis compositus, non potes non mentiri. Mentire ergo strenue, tuo cum periculo. Vix reconciliatus Oberndorferus, ad Iessenium medicum Pragæ, Stromeierum, & alios excurrit, excussoq; omni pudore & fidei oblitus datæ de non offendendo, ad probra, mendacia & flagitia sua maledicentia relabitur, compositionem litis narrando, calumniosa voce venenata medicamenta mihi denuo imponendo, & nescio quæ in archiuis Reip. Ratisp. recondita scelera sine rubore nefarie iactitando. Non sat verecundiæ, veritatis & datæ fidei limites transgressus, inquirit sui similem, quem artibus calumniandi, superbiendi, mentiendi solide imbutum, Basileam mittit ad doctoræ honores aspiraturum, cum vix primoribus labris medicinam degustasset, proque gradu assequendo Theses proponit de Morbo Vngar. in quibus me vellicatim duntaxat & saltuatim allatrat, nihil viro docto dignũ proferens: in fine cingulum Mercuriale fratris appingit, tum angelicum puluerem antimonio conflatum. Disputatur: Fratre Valentino, tum Ba-

Michael Gichtel is est medicinæ studiosus.

Euictio, Oberndorferũ post reconci-

liationem calumniis suis & contumeliis per emissarium contra fidem datam ignẽ hũc sopitum resuscitasse.

sileæ medicinæ operam dante, cingulum fratris Andreæ propugnaturo acriter artis fundamentis ex ingenio emittentis calumniatoris respondet, & contumeliosissime in meam debacchatur medicinam: nos Rulandos per mortes facere medicinam ingenti rictu vociferatur, cingulum & puluerem angelicum, vt me reum antimonii faceret, acerbissime perstringens. Quis iam, calumniator, suis calumniis, suis consutis strophis innocentem & immeritum protraxit & incitauit; ignem hunc fumo suo suscitauit.

Excussio digressionis de vsu chymiæ & abusu.

Vt misochymici nomen amoliatur calumniator, affingit sibi cognitionem rerum chymicarum & earundem vsum, formulas in multorum officinis adhuc exstare clamitans, testantes & studium chymiæ & vsum. Quas formulas, calumniator, crepas? Aquarum distillatarum scil. Non aliæ prostant tua manu formulæ. At vsus aquarum distillatarũ non probat studium chymiæ, nec negat misochymicum. En syllogismum: Qui decernit aquas distillatas, easque in vsum trahit, is non est misochymicus, non ignarus chymiæ; non osor: Oberndorferus aquas distillatas in vsum medicum, aliquot annos decernendo, produxit. Ergo non misochymicus, non ignarus, non osor chymiæ. Propositio risu explodenda. Rudimenta alchemiæ probasti: Ergo totam artem. Aquæ distillatæ pharmacopœorum quales, operane artis? Neutiquam: quia non ex artis præceptis elaboratæ. Tibi obratiocinor. Quicunque rudimenta alchemiæ probat, & artificia nobiliora non tam improbat, quam conuitiis insectatur, ille est misochymicus, & rudis & explodendus. Oberndorferus aliquot distillata ruditer vsu probat suo, nobilissima opera diris deuouet. Ergo misochymicus. Assumtum probatur non tam apologiæ excussione, quam verbis tuis: *De hac enim nobis* (veram medicam chymiam intelligit) *medicis debet esse sermo; non de absoluta illa, quæ nullo fine communi continetur, quamuis multa multis vtilia* (en contradictionem: negat Blatero finem communem, & statim tamen affirmat, multa multis vtilia producere, quæ vtilia fine communi continentur) *producat, nisi forte lapidis illius phantastici potius quam philosophici faciendi.* (Artem Chymiæ distillatione absoluit sola Oberndorferus: inde natos eximios liquores, balsamos, essentias, olea ante nostram ætatem prorsus incognita (ecce iteratam contradictionem: hic olea, liquores, &c. ante nostram ætatem prorsus incognita: & paulo supra: Opus sane veteribus non plane ignotum, vt post Cæsal. Zuingerus ostendit) Non plane ignota; & ante ætatem nostram prorsus incognita, sunt contradictoria. Quære emplastrum polyloge,

Contradictio calumniatoris.

batto-

battologe!) Commendat, operum illorum excellentes artifices summa laude dignos existimans.

Definit autem calumniator, *Chymiam veram medicam esse rerum naturalium seu simplicium medicamentorum omnino omnium, siue ex animalibus, siue vegetabilibus, siue mineralibus* (tot enim fiunt genera etiam apud Gal.6. simplic. 1.) *sumtorum ad vsum medicum fere beneficio ignis præparatricem, siue per partium facultatibus differentium separationem (a qua ob humores liquoresque elicitos Chymia videtur dicta: licet aliis ob metallorum fusionem) siue per separationem ab inutilibus cum suis aliisq; vtilibus coniunctionem nouam.* Monstrum definitionis monstrosissimi definitoris. Sed descriptio est potius quam definitio, eaque confusa, stulta. Nam desumta est ex subiectis & adiunctis, tum aliis. Illa generaliter sumuntur, & strictius. Vitiosa ergo descriptio: Fabularis, artem esse rerũ naturalium præparatricem. Cœlestium itaque & erit, quia res naturales. At quam præparationem instituit Chymia rerum cœlestium ad vsum medicum? Paracelsista certe factus furis. Paracelsus enim sibi & arti suæ subiecta vult cœlestia: vnde astrorum & astralium energeiam, & nescio quarum phantasiarum sibi subiicit. Constringendo genus subiecti philosophaster impingit grauius. Simplicia enim ex animalibus, vegetabilibus, mineralibus accepta simplicia non sunt; quia multifariam composita: Et quia talia, ideo chymiæ subiecta & separationis indiga. Quicquid autem separationi est subiectum, heterogeneum est: quod heterogeneum, illud compositum. Huiuscemodi sunt cuncta non tam animalium, quam vegetabilium & mineralium. Ergo non simplicia. Medicamentorum adiectione, & omnino omnium, stultitiam prodis tuam. Sic enim omne omnino habile foret ad medicinæ vsum, & medicamentum ante præparationem omne. Tantum de vsu: Abusum tam genere, quam specie, circumscribit: Ille intelligit pseudochymicos medicamenta non tam perperam præparantes, quam contra artis præcepta præpostere exhibentes, infinitis titulis totam pagellam complentibus, eos notando, tum chrysopœiam. Hanc statuit duplicem; vnam, quæ ad omnes morbos sanandos, tum valetudinem sartam, tectamque perpetuandam faciat: alteram vero, quæ imperfecta metalla transmutet in aurum. Neutram possibilem esse probat, & sensu & inde deducta ratione. Sensu: si ars ista possibilis, cur ea tam diu sine intermissione nocte dieque Herculeis plane laboribus quæsita, tam multum optata, nondum reperta & vsitata fuit? Proponatur syllogistice: Si Chrysopœia vera esset, etiam effectum editum foret, & aurum factum. Non hoc. Ergo nec illud. Negatur Minor: Certissimum enim est

Descriptio Alchemiæ Oberndorf.

Arrige aures Lector.

& non auribus modo, sed & oculis multorum viuentium & meis comprobatum, factum esse per artem metallicæ conuersionis, & argentum & aurum sæpissime, nec tantum vna compositione, sed plurimis. Geberus non tantum artem, licet per ambages & mysteria conscripsit, sed & quadam iuramenti formula addidit: Laudetur Deus benedictus, cuius ope adhibito labore tetigit Geber, & oculis vidit complementum illius magisterii. Nominat & medicinam, cum ait: Laudetur altissimus, qui argento viuo substantiam & proprietates, quas nō habet vlla res naturalis, nec in vlla reperitur hæc perfectio per vllam perfectionem. Paracelsum aurum fecisse, testes producit Michael Neander in Geographia primum publicos, postea priuatum quendam. Multi Theophrasto, inquit, multa tribuerunt, eiusque ingenio & industriæ, quæ tanta fuerit, vt non modo celeriter sanitatem amissam corporibus hominū, sed etiam metallis imperfectis suam perfectionē reddiderit, & tribuerit, plumbumq; & Mercurium in aurum conuerterit, &c. Idem de Arnoldo Villanouano, Comite Mirandula, Comite Bernhardo, Hieronymo Rubeo, Thoma de Aquino, Alberto Magno, Isaaco Hollādo, Hermete Trismegisto, Mesnæo, Auicenna, Riplæo, Rogerio, certe testantur viri magni. Experientiam lapidis philosophici habes, datam calumniaris.

Alterum argumentum, quo eludis Chrysopœiam, est: Si possibilis esset ars, vtique factum aurum, quemadmodum generationes animaliū, medicamentorum, & aliarum rerum, quæ vere & facile possunt perfici. At hoc non contingit in auro chymico, & saxo isto sisyphi. Iam responsum ad hoc & probatum, aurum factum productis auctoribus & testibus certis. Non autem, quia non tam abundanter fit, vt animalium generationes & medicamentorum, sequitur propterea, artem non esse veram, aut negandum effectum. Notandus obiter calumniatoris solœcismus, dum medicamentorum præparationes vocat, generationes: Nugamenta hæc. Nisi quia talis modus efficiendi tale aurum & lapidem, simpliciter est impossibilis. Si simpliciter impossibilis modus, cur factum aurum? Si specierum transmutatio possibilis arti per naturam, etiam transmutatio metallorum: Illud verum: Ergo & hoc. Vel si possibilis, nondum tamen is est ingenio humano, & forte nec exploratus, & perfecte cognoscetur nunquam. Si possibilitatem astruis, non asseras simpliciter impossibilitatem. Impossibile enim simpliciter contradicit τῷ possibili. Et si hoc affirmatur, affirmetur etiam oportet ingenio humano cognitu possibile esse. Tò namque possibile non naturæ respectu, sed artificis intelligitur.

Tertium argumentum ad destruendam Chrysopœiam tale est: Si

ars χει-

ars χειροποιητικὴ foret vera, eam profitentes nō forent Codro & Iro pauperiores, nec circumuenirent technis alios. At hoc: Ergo non illud. Sed ludis fallacia consequentis, & κατά τι. Pseudochrysopœi paupertate premuntur, vtplurimum omnia dilapidantes, & alios secum exhaurientes. Hinc Scaliger: Istas fornaculas odio odi plus quam Vatiniano. Sunt enim noctuæ ad aucupia crumenarum, a quibus aurum, quod postea pollicentur, sibi captent prius. De artificibus secus censendum. His enim sat domi, vnde viuant. Specie Rulandum constringit calumniator venenosarum medicinarum, & impostoriæ chrysopœiæ, me integra conuitiorum pagina, verborum cōtumeliosorum congerie rabiosa damnans, cū mandato apposito ridicule: *Scire debes corporis morborumq; caussas, non ad medicamenta chymico atq; vltimo Vulcano praparata torquendas, sed hac ipsa qualiacunq; sunt, ad singulorum infinitorum hominum & affectuum naturas, singulari fide conuertenda esse.* Lepidum caput! Vnde tam profunda tibi eruditio? Per somnium vix doctius præcepisses. Corporis quas caussas intelligis? an morbosum corpus, battologe? Ergo tibi eadem corporis & morbi caussa? scilicet, quia parum discriminis inter corpus & morbum, substantiam & accidens. Non trahendæ igitur caussæ ad medicamenta chymica. Insanis? insaniæ caussa, humor atrabilarius cerebrum tuum, tū spiritus animales morbose afficiens, & phantasiam, & rationem alias titubantem disturbando. Nonne si iuuari bene cupis, & cito caussa torquenda ad medicamentum? Indicat enim caussa hæc sui ablationem. Hoc qua superfluum, non nisi in euacuatione tollitur per pharmaciam. Quandoquidem autem inueterata & pertinax non nisi mochlicum indicat, helleborum scilicet album, aut eius extractum efficacius. Et sic ad effectus tui naturam singularem fide singulari conuerti medicamentum vltimo Vulcano chymico. (noua notetur phrasis calumniatoris, qua Vulcanum describit stulte.) Verum ratio audiatur, quare ad Vulcano vltimo chymico medicamenta parata, non sint torquendæ caussæ morborum. Etenim (ratio calumniatoris) medicamenta corporis caussa inueniuntur, non corpus medicamentorum caussa. Res iudicetur syllogistice? Quod corporis caussa inuenitur, ad id torquendæ caussæ morborum non sunt: Medicamenta corporis caussa inueniuntur: Ergo ad ea nō torquendæ caussæ morborum. Ἀναλογία est & fallacia consequentis. Nam quia medicamenta morborum & caussarum gratia inueniuntur depellendarum, mutua vtriusq; erit affectio, qua vnum alterum arguit, & arguitur vicissim; ita vt tam corpus, qua ægrum, arguatur a medicamento, quam hoc ab illo. Quod si τὸ torquendas intelligis de negatione affectio-

nis seu inuentionis, ratio tamen friuola est, & ideo ἀσυλλόγιστος. Helleborus tuo deliro cerebro inuentus est ideo, quia caussa delirii pertinax, efficacem medicinam propterea indicans helleboro insitam. Medicamentum vt agens est, & corpus quam ægrum patiens: mutua igitur vtriusque actio & passio, ideo & affectio inuentioque. Princeps (hoc simili dissimili probas tuam præceptionem) ad Reipub. commoditatem constituitur: sed quomodo non hæc ad illius voluntatem ? vnde commodum potest redundare in Rempubl. nolente Principe. Sic Medico summa cura esse debet, vt morbum fuget contrariis remediis rite. At qua κατὰ λόγον curat, prudenti voluntate curat, vt Princeps Rempublicam. Quæ vero meæ medicationes per enormia, vehementia, nullis artis legibus adhibita remedia, quorum tu calumniator me reum peragere sceleratissima rabie attentas ? Quem grauiter decumbentem, morboq; magno afflictum læsi? Calumniæ sunt hæ atrocissimæ, quas omni iure in os tuum impudentissimũ retorqueo calumniator. Quid chrysopœiæ me insimulas ? Hanc professus sum nunquam, nisi τῷ θεωρεῖν. si τὸ πράττειν adhibuero, quid mali admitto, aut ringeris sycophanta sine damno aliorum, si eam exerceo artem, qua vt olim, ita etiam nostra ætate summo studio & industria factitant viri summi & boni ? Mentiris me vnquam & vspiam iactitasse, vt chymiam, ita & chrysopœiam. γνῶθι σεαυτὸν, calumniator: non verbum sine buccis tumidis ex te & auri & gloriæ cupidissimo: nunquam non ex impudico ore tuo sesquipedalia verba. Negas ? Testor omnes qui tibi cottidiani & familiares.

Excussio examinis medicamentorum Rulandinorum.

I. *Excussio examinis Aquæ benedictæ Rul.*

Archimedes inuenta auri atque argenti permisti ratione e balneo nudus cucurrit domum clamans: εὕρηκα, εὕρηκα: *inueni, inueni.* Tanto tripudio cursitat per omnes vicos impudentissimus Oberndorferus rudẽs & vociferans putido ore: *inueni, inueni.* Quid inuenisti asine? Aquam benedictam Rulandi patris? scilicet: κόπρον εὕρηκας. Quorum fide tibi ista Aquæ benedictæ descriptio ? Ex Lauinganæ ciuitatis & locorum vicinorum medicis; tuæ farinæ hominibus. Patrem, qui est in εὐλογίᾳ, memini Lauinganos, & vicinos medicos, atque pharmacopœos de antimonio omnibus fecisse suspectum, eiusque auctoritati apud credulos nec satis intelligentes, non parum infamia hac fuisse detractum. Hæc enim profe-
ctuΓο-

ɖurorum medicorum ars eſt, vt ſi iacere videntur & egere, bonis & peritis viris obtrectent. Ita enim denigratis celebrioribus, emergere ſe poſſe ſperant. Ars, diabolica licet, hæcce, non raro felicem ſortitur finem. Vt eadem arte proficerent obſcuri iſti medici, parente meo iam per ora virum celebrato, medicinam, quam ob imperitiam pharmacopœorum,& perfidiam, domi præparare ſolitus erat, conuitiis atrocibus ſunt inſectati, eum antimonii reum agentes, & eo furiarum pertracti, vt pharmacopœus de medicorum iſtorum grege affinis, ex antimonio electuarium fecerit, Auguſtaniſque examinandum miſerit, nihil non molientes, vt parentem iſtis dolis ac nequiſſimis technis & fortuna & fama conuellerent, ſe vero illius oppreſſione impia eueherent. Videlicet eodem infortunio vſus parens, quo Galenus lib. de præcognit. cap. 4. ſe conflictatum quiritatur. *Cum vero, inquit, apud Eudemum conquererer de illa animi prauitate, quã medicis ineſſe videbam, qui in vrbe Roma clari habebantur. Quanquam ſi reſciſſent, cum ipſi aſſidue mentiri ſoleant, eadem de ſe quoq; ſuſpicarentur. Cum hac & alia multa dixiſſet, adiecit poſtremo; veneno quoque mihi molituros inſidias, vbi ad nocendum alia via deeſſet* (quemadmodum Oberndorferus non veneno, ſed bombarda mihi ſtruxit inſidias.) *ſic quippe iuuenem quendam in arte maxime exercitatum vna cum duobus famulis fuiſſe ab ipſis exſtinctum. Ad hæc ego: Gratias tibi ago præceptor longe cariſſime, quod mihi adeo exquirite cuncta, quæ ad ipſorum improbitatem pertinent, enarraueris. Ego enim poſthac mihi cauebo ſedulo, tum ipſis cedere, tum inſcitiam ipſorum diſſimulans, atq; ex hac vrbe maxima populiq; frequentia mirabili in paruam & paucorum ciuium concedam. Reſtitui tamen interim præter complures alios, tum Charilampis familiarem, tum Diomedem rhetorem, in ſantalario morbo diuturno afflictum. Quæ omnia digna magna laude ſunt viſa: Quare me omnes magnopere ſuſpiciebant atq; venerabantur, magnumq́; vbique erat Galeni nomen. At veluti indies gloria, ſic pari quoque paſſu augebatur inuidia.* Hæc fortuna Galeni nequaquam paternæ, meæque impar. Feramus igitur infortunium; ſed non puſillanimitate Galeni aduerſariorum inſcitiam diſſimulaturi, ad quæuis conuitia & mendacia tacituri: quin contra audentior ibo, contumelias impudentiſſimorum iſtorum medicaſtrorum, diuina affulgente gratia, contriturus, & in apricum producturus maleferiatorum iſtorum machinationes fraudulentas. Ad aquam benedictam redeo; cuius εὕρημα calumniator? Medici Lauingani an vicini? Illius forſitan, qui olim Norinbergæ mercatoris pecuniã inuenit transfuga: Furtum itaque furtifici. At quid boni & ſinceri ex tali ſperandum? qua fide acceptari poteſt furtiuum remedium? Antimonium, vt & alia mineralia,

Ex quo Oberndorferus gloriatur, Aquam benedictam cepiſſe?

tractasse parentem meum olim recordor. At ex vitro antimonii, prout calumniator gratulabundus fabulatur, aquam Bened. Rul. constare, mendacium est. Sed credat, qui volet. Quę sit aqua benedicta, chymiatria Rulandina, iam prœlo adornata, vere docebit, & quam inique calumniatores censeant, liquide patebit: Interea per me licet cuilibet Oberndorfero Aquam benedictam tripudiante corpore, asinorum more, quorum victus pipere conditus, nequissima dicacitate τῷ Martinule, sapientule, & nescio quo modulamine scurrili scurræ describenti annuere: verum vt histrioni mendaci materia histrionica detur scurriliter sese exercendi, concedatur aqua benedicta ex vitri infusione antimonii esse? Quid obstat, quo minus medicamentis Galenicis & Hippocrat. accenseri iure & merito possit, ac primo asscribi loco? Oberndorferus pro eruditionis suæ hilo respondet, proscribendam omnino eam; non enim ex Hippocr. vel Galeni, vel aliorum recte medentium monimentis, sed ex traduce Patris in filios, vt hi gloriantur, haustam esse. Floccipendenda Aqua Bened. Rul. quia non ex Gal. & Hipp. monimentis, nec ex Oberndorferi, Solfleischii, Scheibii apotheca! Ferulam puer isti insulso purulento seni. Ignoras turpiter elenchum, & non sequentis. En dianoian beane! *Quod ex Galeni & Hippocr. monimentis non est depromtum medicamentum, illud est reiiciendum: Aqua Bened. Rulandi non est ex Galeni & Hippocr. monimentis: Ergo reiicienda, conuitiis vexanda, cum auctore proscribenda.* Proscribaris ergo & tute cum tuo978Merneliano magistrali syrupo, cũ tua mechoacanne, laudano, radicibus & herbis omnibus exotericis, ex tuo, neutiquam ex Galeni, multo minus ex Hipp. cerebro, quibus istorũ nulla plane notitia, stolida arrogantia desumtis. Hæc aqua benedicta ex parentis mei aureo secretorum libro de verbo ad verbum descripta perhibetur calumniatori, & digna vt in conspectum excellentissimorũ Medicorũ prodiisset; tunc multi hac centaurica medicatione, aut verius mordicatione, recte aliis monẽtibus in extrema repente discrimina, vomitus vehementissimos, colicos dolores acerbissimos, diarrhoeas crudeles, conuulsiones lethales, syncopas frequentes & pręmaturas mortes, nunquam inducti fuissent. Cumulus calumniarum, conuitiorum, mendaciorum, in parentem meum iam Deo viuentem, nebulo! quo testimonio istam tuam Aquæ benedictæ descriptionem ex secretorum libro? tibi enim sine testibus, & tribus, non creditur; quia ex mendaciis cõpositus, & iam multoties probatum, te mendacissimum esse calumniatorem. Esto ista aqua benedicta Rulandi: meruitne tot tua virulentissimã sputa, calumniator? meruitne id parens, vt in eum adeo venenata conspuas sputã, calumniator? In-

tor? In recensita symptomata lethalia coniectos, imo in præmaturam mortem eos cōuitiaris, quibus aqua benedicta fuerat administrata! Mentiris, aio, nebulo: mentiris, dico, diabole: te mendacii conuincunt centuriæ paternæ certis subiectis & adiunctis necessario connexis testimoniis ideo infallibilibus munitæ: contrane hiscere audes nequam mendax? Produc vnicum, quod aquæ benedictæ vsu dextro, aut in dicta symptomata, aut mortem fuerit protractus. Vitrum intelligi antimonii infers? Imo aquam benedictam ex vitro antimonii tibi compositam? Violenta pharmaca naturam conturbantia, & adeo exagitantia, vt cogantur susque deque se exonerare, aliquando cum spirituū resolutione & morte inopinata. Iterum calumniaris. Si id vsu antimonii vitrificati accidit, accidentis vitio contigit, vel vsu imperito administrantis. Quanquam nec mortem, nec grauiora symptomata alia superuenisse vsu illegitimo antimonii vitrificati vnquam memini. Sed potius antidotariorum vobis vsitatorum medicamentorum, etiam prudenti διορισμῷ administratione? Pilulis cochiis, sine quibus, de hermodactylis, electuariis scammoneum, colocynthidem obtinentibus, quoties tibi & tuis asseclis lethalia symptomata procreata? Imo mors ipsamet? Exempla sunt odiosa, sed deinceps tamen, quandoquidem aliis obtrectando impudentissime innocentiam tuam, & tutam medicationem testatam cupis, producenda. Expungantur itaque ista omnia pharmaca, & cum auctoribus proscribantur: sed quæso petulce, cur tibi & aliis adeo vitrificatum antimonium inuisum & exterminandum cum vsurpatoribus etiam peritis? Minerale est, ideoque in vsum medicum veniendum. Supra enim omnia naturalia, omnia omnino medicamenta ex mineralibus, vegetabilibus & animalibus desumta subiecta esse chymiæ veræ medicæ. At vitrum est minerale: Subiectum ergo chymiæ medicæ. In vsum igitur medicinæ & salutem generis humani vocandum. Venenatum autem stibium? venenatum licet, tamen mineralibus medicamentis abs te accensetur. Dicis, veniat in vsum, at chymice tractatum. Tractatum? Ignis beneficio calcinatur, calcinatione fugantur spiritus venefici, fitq; separatio puri ab impuro. Chymicum ergo ita antimonium elaboratum remedium & vsurpandum, ideo generi humano salutiferum. Tale pharmacum laudas, imo ad cœlos vsque attollis, vt tua descriptio chymicæ veræ medicæ docet, & docet euidenter. Sed hic in Aquæ Bened. Rul. furtiua descriptione aspernaris, calumniaris, proscribis: auctores eiusdem contumeliis omnibus laceras, & teipsum. Quam effrons autem apologus sis, & de rebus chymicis stolide disputator, eo duplicatū syllogismum: Si chymia medica vera, omnia

Mendax Oberndorf. idemq; maledicentissimus antimonio & eodem vitrificato vtentib. sua de chymia censura edita definitione artificiorum chymicorum antimonium etiam atq; etiam cōmendat. Atq; ita Oberndorfero vago & furioso beneficiū veneficium est, & hoc illud: quia minerale, quia chymice elaboratum: omne autem tale in salutē humani generis.

mineralia medicamenta τῷ σπαγειρεῖν, ad bonum vſum medicum reformare poteſt, etiam antimonium poterit: At poteſt omnia. Ergo & antimonium. Reſponde, ſi vir es & eruditus, ad hoc ratiocinium. Depudeat te mentiri, calumniator! Scribe in ſalutem, non in bonorum virorum & artium dedecus. Reſponde cito ſi vir es: Propoſitio eſt tua, quantacunque eſt tota, tua eſt, & deſcriptione chymiæ multis effutita. Quid ergo, perſonate medice, antimonium tot conuitiis vexas? Dato palmam miſochymice calumniator. Euictum ergo iam, antimonium vitrificatum eſſe beneficum remedium, ideoque generi humano ſalutiferum. Pollicitus es autem, ſancte, o impudens ſcurra, te magnifacere vera chymica remedia, imo ad cœlos vſque attollere (hæc enim ſunt verba tua) velle. (De vſu chymiæ veræ medicæ tuæ diſcretionis ſcilicet.) Itaque eſt vt ceſſes maledicere aquæ benedictæ, maledictæ valedicas, calumniis item in eam turpiter & furioſe proiectis, acquieſcas vero tuo τῷ ad cœlos vſque attollere, & conceſſis argumentis datiſq; quorum robore coactus omne minerale, omne vegetabile, omne animale, chymia vera medica tua exercitum exoſculeris. Viuat itaque aqua benedicta Rulandi, viuant Rulandiatri, etiam nolẽte Oberndorfero. Placet nomen Aqua Benedicta, aqua terræ ſanctæ. Probatur & vitrum antimonii, quia minerale, quia chymice tractatum. Omne hoc ad cœlos extollendum Oberndorfero; hoc non tam fit verbis, quam geſtibus: Illud non niſi cœleſtium naturæ competentibus nomenclaturis peragitur. Floreat itaque annuente Oberndorfero antimonium vitrificatum: aqua benedicta perennet & ſecus ſentientes, calumniantes ad Anticyras. Aſt antimonium adeo Oberndorfero venenatum, vt ſuometlicet gladio iugulatus, & contrarium ex propria confeſſione euictum, illud tamen admittere nequeat. *Inſuper, ait, nec rite purgat hoc tollendo, nempe id quod peccat, ſed ſine delectu irritando naturam ſuperpurgat. Sic vt tam inferne, quam ſuperne eiiciat omnes humores valde difformes, ponderis & virtutis quantitate non imminuta. Quoties enim idem infunditur, toties nouam purgandi vim liquori impartitur, citra virium, ponderiſq; imminutionem.* Antimonium igitur non in vſum ducatur medicum, quia citra delectum purgat, ſed ſaltem irritando naturam ſuperpurgat? Quid delectus? Quid delectu purgare? Nullum medicamentum electiue purgat, quod demonſtrat Eraſtus, ad quem te ablegatum volo. Exſulent igitur medicamenta purgantia omnia? ſi id, quod peccat, tollis, ſatis eſt: Irritando naturam ſuperpurgare falſum eſt, & tibi contradicens. Si enim id, quod peccat, tollit antimonium, vt iam faſſus es, non ſuperpurgat idem. At purgat id quod peccat. Ergo non ſuperpurgat euacuando id, quod

Oberndorferus vi confeſſionis propriæ cogitur aquã bened. quã nequiter maledictam vocauit, benedictã, imo cœleſtia cuncta remedia diuina eſſentifica magnificare; quia mineralia chymice tractata. & reloqua huius ſortis ad cœlos attollere ſe velle contradixit, & manu data promiſit.

Infundas rheubarb. nugator, vel agaricũ, tãtũ abeſt diminui infuſione eorum quantitate, vt ei acceſſio fiat.

Virtutẽ ſæpius infundendo non perire, arguit fixitatẽ ſubiecti, quanquã ea nõ peremat.

quod naturæ familiare. Zuingerum audi de antimonio in lib. de Exam. princ. chym. differentem; *Quod si ergo laudati remedii vsum præposterum euentus iste sequatur, an inde remedii bonitati innoxiæ erroris culpa imputetur? Recordor tam lugubris audaciæ indignum honestæ matronæ exemplum, quæ temerarii cuiusdam suasu haustis pilulis, cæteroquin innoxiis, & vsu quotidiano perprobe cognitis, ὑπερκαθάρσει exanimata, quatriduo vixit. An iam quæ pœna audaculo debebatur, purganti massæ pilularum feratur accepta? Quantumuis ergo stibii vsus, si præparatum non fuerit, vel saltem importune exhibitum, aliorum etiam pari fortuna, non sit securus; ad remediorũ tamen materiam Dioscoridis posterorumq; Doctorum proborumq; virorum auctoritate variis speciminibus subnixa, referendum esse nemo non videt. Persuadent sibi nonnulli, cum non alliciat naturæ impulsu priuatum humorem, sed omnes indiscriminatim, non facile huc pertrahẽdum esse. Violenter resistere naturæ, cui omne nimium sit inimicum. At vero sufficiat vobis naturæ aduersum eiusdem vim expultricem abigendis humoribus eximie prolicere. Vnde hoc boni est, vt quæ molesta fuerat morbosa caussa, radicitus euellatur? Nec tanta rabie humanas vires exagitat. Ad talem reduci potest subtili artificio moderationem, vt vix quicquam iucundius eo, nil æque efficax.* Tantum tuus doctissimus Zuingerus calumniator! Quercetanum, & Basilium Fratrem obiicis, negãtes, se vnquam vitro antimonii vsos, nec consistere in vitrificatione antimonii veram virtutem. Si Quercetanus nunquam est vsus vitro: at regulo antimonii ex sulphure, quorum vtrumque in vitro. Basilius Frater tantum abest, eum nunquã esse vitrificato antimonio vsum, vt aliquot modos de antimonio libello vitrificationis proponat, & vtilem eius vsum deprædicet. In vitrificatione veram antimonii virtutem non consistere, κατά τι est verum. Antimonium heterogeneum est, ideoque differentes facultates possidens. Vis purgans tam vitrificatione, quam alio artificii modo elicitur. Vis itaque aliqua, eaq; vera in vitrificatione consistet. Violentis istis medicamentis in vitæ pericula, & grauiora symptomata ægros coniici, calumnia est. Chymica medicamenta talia non sunt; & si eorum prauo vsu huiuscemodi contigere, vitio accidentis obuenisse scito. Ita & Hippocratis helleborus, peplium, lathyris, &c. abiicienda proscribendaque, quod eorum vsum etiam legitimum lethalia symptomata sint insecuta, conuulsio, dysenteria, ὑπερκάθαρσις, & mors ipsamet. Quid? violenta & periculosa? Quorum medicamentorum vsum sequitur εὐφορία & leuamen, exacto eo quod peccat, restitutioque sanitatis, ea violenta, & periculi plena esse non possunt. Huiusmodi est vitrum antimonii. Ergo nec violẽtum, nec periculosum. Sed tu vitrum antimonii exagitans, etiam alia intelligi

Zuingerus de antimonio.

Arrige aures calumniator!

vis remedia chymica, plurali numero eà designans. Aliud itaque dicis, & aliud cogitas. Affirmasti superius te chymica remedia artis legibus præparata, & iisdem administrata, neutiquam aspernari, sed ad cœlos vsque extollere velle. Vitrum antimonii est chymicum? remedium artis legibus & effectum, & rite adhibitum. Quare ergo violentiæ id accusas, & pharmaca alia chymica? Mendacium est, ventriculum erodere vitrum Quod expers erosiuis est, id erodere nequit: Vitrum antimonii est erosionis expers: Ergo non erodet. Quique erodet infusum. Tutiora & laudatiora remedia chymica tibi esse, medicatio tua inficias ibit. Centenos curasti Ratisponæ me medicinam dextre & vtiliter exercente ægros, quibus indiscriminatim omnibus & singulis purgandis exhibuisti, aut syrup. rosat. solut. Fernelianum magistralem, aut extractum aloes, aut cochiarum, & sine quibus : atque id demonstrari potest tuis receptis, quæ penes sunt pharmacopœum. Tutiorane, & quibus in diuersis affectibus feliciter sis vsus? Patientes appello tuos, qui testimonium felicis & tuæ curationis tibi perhibebunt, scil. habita semper ratione temporis, sexus, ætatis, consuetudinis, & aliarum circumstantiarum administrasti? Omnes & singulos extracto aloes rof. & cochiarum purgare promiscue, non est habere rationem ætatis, temporis, sexus, &c. Ais tamen: Nego ego & iam probaui. Mentiri tuum est.

II. Excussio Diacydoniaci cathartici.

℞ *Diacydon. ad perfectionem cocti lib. I.*
Vitri antimonii vnciam vnam sem.
Tragacanthi drach. duas. ℳ. *Dosis drachma vna plus minus, pro sumentis viribus.*

Aqua benedicta Rulandi calumniatori infuso vitri antimonii turpiter vilescente, me stibiarium omnia subire, vt possem ditescere, minimeque probus fieri, illius vice excogitasse *Diacydonites* meum *catharticum*, quod *Lucidum* appellauerim, ex antidotario Weckeri furtim desumtum nequissime comminiscitur. O scelus! o impudentia horrida! o mendacium atrocissimum profligatissimi hominis! Hoccine est boni viri, conuitia cumulare conuitiis, mendacia mendaciis confirmare? Quæ frons, quod os, quæ conscientia, quis pudor in te calumniator? Me Diacydonites hoc stibiatum in vsum duxisse nunquam audes eloqui? Nimirum antimonii & remediorum venenatorum me reum ageres, hoc stibiatum mihi affinxisti: Magistratus & Deus te puniat, bipedum nequissime, prout meritus es: dignissimus, qui ob grande scelus calumniandi & mentiendi abnormiter adeo, omnis boni viri alloquio priueris soli carnifici

nifici tradendus, qui inhumanum, mendax, impudicum, scelestum caput tuis abscindat ceruicibus. *Lucidum* me appellasse *diacydonites?* Et est *translucens.* aliud itaque esse id oportet, quam quod tu mihi imponis scelesto conatu. Quis enim diabolorum ex tua stibiata descriptione *lucidum* efformauit *diacydoniatum*, vncia vna semis vitri antimonii & tragacantha diacydonio admistis? Quare, quandoquidem nec hoc diacydonium stibiatum meum esse in æternum probari potest, multo minus in vsum me traxisse vnquam; cõuitia nequissimi hominis, quæ impudenti ore in me immerentem euomit, vt & falsissimum testimonium, & mendacissimum *Diacydon.* affictum omni iure in ipsius sceleratissimum caput remitto. *Mihi satis est sentire cum sanioribus & sapientioribus, antimonium vitrificatum obtinere temperamentum corpori nostro prorsus inimicum.* Si sapere vis cum sapientioribus, desine tam impudenter mentiri, & quid vis, quod tibi in buccam venit, turpiter effutire. Mentiris, tecum sapientiores sentire, vitrificatum antimonium corpori nostro temperamentum obtinere prorsus inimicum, deleterium ideo. Zuingerum secus audire cum p. m. parente suo iam audisti: Eiusdem sentẽtiæ sunt & alii viri, viri vt prudentes, ita & docti: *Joh. Hartmannus D. in suis nuper ad me literis: Aquam ex infusione antimonii recte vitrificati possideo, cuius dosis est ℥ij. quæ in singulos annos insumitur mihi ad libras aliquot; repetitur a variis locis, ac variis hominibus, ac propter blandum, quem plerumq; ciet, vomitum, vocatur nostris hominibus vulgo D.* Hartmans Speywasser. Excellentissimus Platerus, qui tibi dubio procul in numero sapientiorum, antimonium rite vitrificatum non in minimis habet arcanis, cum salute plurimorum eodem vsus hactenus. Quomodo ergo tu cum sapientioribus consentis, & hi tecum, calumniator? Tu deleterium vitrum antimonii censes, sed stulte: viri isti sapientes & sanioris iudicii negant deleterium, & ob tutam ac facilem purgandi facultatem, quam habet, acceptum ipsis remedium. Consensus inter te & illos nullus; dissensus vero ingens. Tò inimicum omnibus insitum est pharmacis reuera talibus, vt propter inimicitias istas, quas habet cũ corpore purgando, κάθαρον fieri putent multi medicorum, τὸ inimicum ἀντιπαθείᾳ exprimentes. Itaque tota pharmaceutria ad Anticyras. Contradicis tibi, vitrum antimonii magna cum probatione ex corpore bona cũ malis simul iniicere: & paulo supra, illud superfluum, & quod peccat exigere. Si bona cum malis, & hæc cum illis exigit corpore, non quod peccat tollet, calumniator. Sed tolerabilior est contradictio in te, quam menda-

Diacydoniũ affictum mihi nequiter ab Oberndorfero nunquam pellucidum fieri potest, antimonii vitro insperso. Vt translucida efformatio nebulonẽ euincat mendacii Oberndorfer.

Zuingerus antimonii vitrificati vsum ab artifice approbat, contra scurrilẽ Oberndorferi censuram.

Oberndorferus cum sapientioribus censet antimonii chymice paratum, & vitrũ esse venenum; sapientioribus tamen contra censentibus.

Vertumnus

Oberndorf. vitrum antimonii iam omnes humores, bonos & malos promiscue exturbare blaterat, & paulo supra duntaxat affirmat peccantes eo purgari. Implicat itaque contradictionem.

cium, quod cum atroci calumnia iam repetere non vereris. Fratri enim Andreæ obiectas vsum *diacydonii cathartici stibiati* infelicem. Istud exhibitum Singeriæ, Iudicis Reichenbachensis coniugi, quæ intra 24. horas ducenties, & ad deliquia euacuata inde fuerit. Numerum excretionum posuisse te finitum, non infinitum, arguit micam pudoris in te. Mendacii autem & calumniæ nota, ipsam ducenties 24. circiter horis euacuatam. Cur non sæpius, aut minus ducenties excreuit, calumniator? Sed quid ad rem? Nimirum vt probes, & me, & fratrem vsum antimonio vitrificato, & diacydoniato stibiato. At iam est edictum, & mendacium in os tuum mendacissimũ retorsum, nec mihi, nec fratri Andreæ vnquam tale fuisse diacydonium. Hypercatharsin ex meis medicamentis quandoque euenisse non inficior. Sed mea culpa & medicamenti κατὰ λόγον a me præscripti, hoc est, quod nego & pernego. Quo medicamento illa Iudicis coniunx fuerit purgata ignoro. Acciderit ita vt refers calumniator: Tuum autem iam est, si vir verax & bonus a bonis omnibus haberi vis, probare, id euentus aut fratri minus circumspecte agenti, aut medicamenti venenositati, aut patienti ipsi acceptum ferendum. Interim calumniam & mendacium tibi regero: & scito nouum non esse, iuuenem & inexercitatum medicum quandoque labi. Turpe vero, & vituperio, castigationeq; dignum, medicum veteratum & *Principum archiatrum* turpiter hallucinatum, negligẽtia sua & temeraria medicatione, ægros purgando in vitæ periculum non semel præcipitasse, mortemque ipsam. Et quia quæ vis, dicis, quæ non vis, audito: Illustri Domino Friderico a Closen in Heidenburg ante annos aliquot exhibuisti pharmacũ, vt ipse nobilis mihi referebat, extractum *cocchiarum*, cuius sumtione octogies excreuit, & cum tanto cruciatu, (teneræ enim constitutionis vir; ideo habita ratio ipsius complexionis, naturæ, & humorum in tali corpore tenuium, methodi iactator turpis?) virium lapsu, vt astantibus moriturus visus fuerit. Item sartoris Ratisponæ iuxta cœnobium Emmeraniũ habitantis, coniugi grauidæ, tua medicina anno 1594. in Comitiis exercita & fœtum, & animam matri exegisti. De Argentinensi Legato Dn. Greisio p. m. quem febri tertianæ implicari opinatus, at febre maligna & petechiis conflictato diarrhœam tua methodo sana, sapienti & docta, medicamentisq; benignis concitasti, vt ea ad mortem vsque diurnarit: Et huius felicis curationis testes mihi sunt, tum ceteri Legati & famulus, quem non semel *nebulonem* ὀξυκέφαλον, quia erat capite fastigiato, & præposteram ac calamitosam heri sui curam ex aliis intelligentibus habitam mussitarat, indignabundus inclamasti: tum nobilis & magnificus Dn.

Eppin-

Eppingerus consul vester πολιστὴς eximius. En liberalitatem meam duplo largiorem, quam tua est in fratrem Andream & me. Liberalior futurus non calumniando & mentiendo, vt tu, sed vera exempla producendo, nisi resipiscere velis & impudentissimo mendacissimoque ori tuo lupatum iniicere, discere, tecumque habitare. Tenebris itaque obscurius sit, & mendacio mendacius omni, Electuarii istius fuisse me vel fuem iactabundum, vel vsurpatorem temerarium & vllum. Censura cubiculariorum medicorum Cæsareæ maiestatis, collegarum meorum obseruandorum, D. Octauiani Roboreti, Gothofredi Steghii, & HectorisMoscagliæ non facienda tanti, vt peritos medicos ab vsu stibii vitrificati methodico absterrere debeat. Tuam insuper stoliditatem & iudicii peruersitatem de antimonii vitrificati natura & vsurpatione neutiquam ii approbant. *Absolute damnari antimonium non potest, inquiunt; quod* (argumentum ipsorum, vt doctorum virorum secus, quam tu asine, de rebus censentium) *nonnullis aliquid opis attulerit: indifferenter tamen vsurpatum, vt Empeiricorum mos est, omnes eodem calopodio induere incommodorũ multorum caussa potest esse.* (Falluntur non caussa, & accidentis elencho. Si vitrum antimonii aliquid vtilitatis contulit rite adhibitum, ab intelligentibus scil. & multum inferre potest incommodi idem secus administratum, non arti, non remedio id attribuendum, sed imperitiæ & ignorantiæ administrantium, aliisque. Omne nobis medicamentum huiuscemodi occurrit, vsus malus hic, calumniator, taxatur; neutiquã peritus) *ob insignem & maximam eius vim naturæ nostræ inimicam: quæ quidem vel inde ostenditur, quod in tam pauca quantitate sumtum tam sursum quam deorsum indifferenter tam bonos, quam malos humores purgat.* Ignorant elenchũ hic Dn. collegæ & accidẽte peccat. Antimonio maxima vis est, sed quanto, sed quali. Illic admodum naturæ inimicum, imo deleterium: atque hoc modo omne medicamentum qua tale; Vnde apud Galenicos tanta doseon medicamentorum cura diligens, tot diorismi, vt hoc nomine non sit suspectum habendum antimonium: hic vero vis ei benignior, tutior, quam mannæ, quam cassiæ: amicior naturæ quam colocynthidi, peplio, veratro. Pauca enim quantitas sumti sursum deorsum, tam bonos quam malos humores purgantis ostendit non inimicam admodum naturæ vim violentam, sed imperitiam præparantis & exhibentis. Recte & ex artis legibus tractatum omnem violentiam exuit, nõ sursum & deorsum præcipitando humores, sed blande noxium educendo. Eiusmodi violentia naturæ inimica, vtut corrigantur & castigentur, indelebilis tamen, inest plerisque nostrorum catharticorum medicamentorum. Quæ

Oberndorferus affingit mihi medicinã stibiosam, nunquã abs me vsurpatam, vt mendacium mendacio prodat, ideo nequam.

deleteria vis & mochlica helleboro Hippocr. peplio, lathyridi, scammonio etiam minima quantitate administratis? Vitrum antimonii indifferenter omnes humores, tam bonos quam malos, recte præparatum exturbare probatum hactenus non est. Detur tamen id; commune itaque cum ceteris medicam. nobis vsitatis. Quis cauebit mannæ exhibitione cum malis etiam bonos non excludi humores? Certum est, qua facultate ex vegetabilibus medicamenta purgantia operantur, eadem & mineralia, vitrum, mercurius, & reliqua ex illis. De delectu purgat. & electiua purgatione stulta sunt, quæ adferuntur.) *vt si debilioris cordis aut angusti pectoris patientibus temere exhibeatur* (calumniator intelligis collegas de temeritate loqui vtentium & imperitorum. Medicamenta omnia in manu stultorum & medicastrorũ periculosa & noxia: in artificum circumspectione minime) *præter syncopas & lipothymias ex nimis violenta purgatione, non leue etiam alicuius vasis disruptionis, & inde pthysis & mortis periculum immineret* (idem periculum ex abusu aliorum etiam nobis admodũ benignorum medicamentorum metuendum cunctis. Vitam demoliri vsu malo nihil non noui: potest id vinum, escæ quotidianæ balneæ, Venus, &c.) *vt propterea cum multo tutiora habeamus medicamenta* (scammonium scilicet, helleborum, colocynthim, cyaneum lapidem, lathyridem, pilulas & electuaria ex illis confecta, pulueres item: si hæc tutiora antimonio, cur tanta cautione opus est, & diorismis eadem vsurpaturis? quare Mesuæus tot castigationes omnium remediorũ purgantium, tot cautiones eorundem docuit? Nihil tutum quod castigandum, quod corrigendum, quod caute adhibendum. Omnia purgantia nostra castiganda, corrigenda, circumspecteque adhibenda. Ergo non tuta nec tutiora.) *vt non immerito a melioris classis medicis eius vsus tanquam periculosissimus euitetur.* (homonymia luditis τῷ periculosissimus, vobismet contradicentes domini collegæ? Absolute primum antimonium damnari posse negastis, quod opem ferat aliquando, & semper recte adhibitum, cumq; cautione: in fine vero, periculosissimus eius vsus doctioribus etiam, ideoque euitandus. Si antimonium a peritis exhibitum fuit opiferum (vt sane est & erit) non periculosissimus eius vsus. At vobis testibus opiferum antimonium iuxta artis leges, & paratum & administratum. Non ergo periculosissimum. Quod enim tale, noxium est: quod noxium, salutiferum non, opiferum non. Contradictio ergo.) Sed Gothofredi censura semper fuit nauci, qui auctor Epistolii huius emendicati videtur. Valeat is apud diuos pancratice: & quia homines tolerare humaniter non potuit, ferat iam non homines. Te testor, clariss. Dn. Moscaglia amice colende,

antimo-

antimonii vitrificati vsum adeo tibi tutum hactenus fuisse, vt multos dextre, & ex artis legibus adhibito ex mortis faucibus eripueris: quot febre maligna & pestilentiali correptos exhibitione illius primis diebus liberasti felicissime? quos non hoc accepto famoso pharmaco ancipiti euentu diutissime decumbere oportuisset. Et quia alius sententiæ te esse noui, quam literæ vestræ ad mendacem Oberndorferum datæ perhibent, arguitur calumniator merito testimonii dolo malo nequiter surrepti.

III. Excussio examinata aqua antipodagricæ Rulandi.

Iurium gnaris solet axiomatis hoc loco effatum esse: Qui semel malus, semper præsumitur malus. Mihi vero; qui semel mendax & perfidus, semper mentiri & falsus falsimoniis præsumitur. Oberndorferus hactenus fuit mendax, falsiloquus, nullo iure, nulla verecundia, pietate nulla absterritus, quis igitur in ceteris futurus reus? Nullum itaque bonum virum, fidem Oberndorfero vllam habiturum spero; nisi & ipse idem animi induere, & mendaci credulitate sibi imponi velit. Aquam antipodagricam Rulandos ditasse, calumniator, effutis diuendentes lib.j. 10. florenis: iam totidē coronatis, iam pluris. Quid hoc ad rem, nugator? Mentiris, me illam vendidisse vnquam, mentiris & tanti æstimatam abs me. Si parenti p.m. & fratri lucrificabilis illa aqua, quid te attinet? Tune lucrifuga blatero? Doles scil. tibi non æque lucrosam, imo lucrosiorem fuisse medicinam. Non enim in rerum natura te auarior, non auri, non gloriæ cupidior, arrogantissime: Hac auri & inanis gloriolæ cupiditate percitus Ratispona olim deserta, alumnus licet, in Styriam te cōtulisti, eam exerciturus praxin, quam Galenus de sui temporis Romæ medicis graphice depingit, exercitatam l. de præcognit. Cum vero, inquit, apud eundem conquererer de illa animi prauitate, quam medicis inesse videbam, qui in vrbe Roma clari habebantur; nolim, inquit ille, persuasum sit tibi, viros natura probos, cum in hanc vrbem venerint, malos aliqua ex parte fieri: ceterum qui iam ante prauo animo extiterant, cum hic & negotiorum materia abundent, mercesque multo amplior quam in aliis vrbibus, vndique alliciat eos, cernantque multos quotidie tibi ditari similes, multiplices actiones eorum accurate imitari contendunt: Itaq; multis de caussis ad summam illam improbitatem deueniunt. Quod si forte improbi ab aliquo deprehendantur, habent alios in hac vrbe quos adoriantur tuto, vtpote suorum morum ignaros. Vnde maxime fit, vt eadem semper perpetrare flagitia possint. Qui vero paruas ciuitates incolunt, capi lucri magnitudine nequeunt. Non ouum ouo similius, quam noster Oberndorferus istis Romæ medicis. Quid non Græcii molitus? quanta iactan-

tia, quanta hominis arrogantis impudentia? Alto omnes spernebat supercilio medicos, maledicentissimus erat: Nihil non motarat, vt præmineret, inprimis experientiam triginta annorum, experimenta certa diuina sua thrasonice proclamando. Successit machinamentum lucrosum & dolosum. Vah, quam diues aucupium Oberndorfero! aucupium non 1c. coronatorum, sed ducentorum, trecentorum; defunctis interim & misere deperditis ægrotantibus. Hoc tibi lucrum honestum, calumniator? Mihi dolosum & impium: impium adeo, vt auro atque argento affluente affatim inebriatus, nullis inferioris conditionis hominibus, nullis ministris, nullis pauperibus mederi volueris. Aucupio hoc citius quã videbas acciso Ratisponam rediisti iisdem fraudibus instructus. Fraudes enim tuæ; contemtus proximi; inuidia; arrogantia; iactantia; despicatus pauperum. Solus inter cęcos regnabat Strabo: Solus eras Principum Doctor princeps, procul pauperes: Hæc nulla probatione egent, per se plana, perspicua, clara, & in ore omnium.

III. Descriptio Aquæ antipodagricæ; sed ficta & mendax.

℞ *flor. chamamillæ.*
meliloti ana m. j ß.
Aquæ simplic. lib. iiij.

Bulliant tribus feruoribus: colato liquori adde *Aquæ fortis mortificatæ lib. iiij. Aquæ fortis viuæ*, id est, quæ nondum venit in vsum aurifabrorum ℥ ij. Tingantur succo vel decoct. *myrtillor.* vel *ligno brasilio*, vel *minio*. Seruetur in vase vitreo. Fortior fit, si addid: *mercurii sublimati* ℥ *ij præbullitì in aqua simpl.* Hæc aquæ antipodagr. descriptio ex Mentzelio medico excellenti, referente mendace Oberndorfero. Sed alia eius descriptio Libauio, alia Quercetano, quarum vtraque cum calumniatoris parenti auctori accepta refertur. Discrepantes autem sunt inuicem omnes; tum ingredientibus & dosi, tum præparatione. Veræ igitur & genuinæ omnes esse non possunt. Oberndorferus calumniatur suam ex Mentzelio olim mutuatam veram esse; reliquorum ergo erunt erroneæ; quia plus vno verum esse non potest. At & calumniatoris adulterina. Non abstinet tamen impudens calumniator, omnia probra in ipsam congerere; aquam antipodagr. venenositatis, pernicici, malitiæ indomitæ damnare; quin nec a paternis sibi temperat cineribus, sed eos nequissime permingit: patrem fallaciarum, doli, fraudis, & nescio cuius flagitiosæ negotiationis immerentem accusat. Siste gressum calumniator Oberndorfere. Apologiam aduersus calumnias Rulandi promulgasti. Auctor tu cum caluitio personato. Quæ calumniæ patris mei aduersus te? Quid mali aduersus te admi-

admisit, scurra? Iam Deo viuit, te Diabolo, patri calumniarum, certo victuro: Imo ipsi si quid fors peccatum (homo enim fuit, & nihil humanũ ab ipso alienum) sed peccatum est nihil, humare cum humato, si vir bonus fuisses, debuisses. Sed quia furiæ te exagitant, & omnia prostituis pudenda tua mundo consideranda, ideo ne mortuis quidem parcis. Quæ vero tua argumenta accusationis malitiosæ & contumeliosissimæ aduersus patrem? *1. Venenata aqua antipodagricæ parens fuit auctor, ideo veneficus. 2. Aliquot doliola aqua repleta antipodagrica in Austriam misit: ideo fuit negotiator futilis & agyrta. 3. Inde grauis ære crumena reuersa.* Si non, Lector, de famæ bonitate ageretur, re ardua & pretiosa, beanus iste exsibilandus veniret. Sed quia erodit boni viri famam bonam, aliter est tractandus: Ac primum connexum pernegandum, & dicendum, laborare cum rabioso obganniente petitione principii, & mendacio. Tibi enim incumbit nequam, probare prius, huiustuæ descriptæ aquæ antipodagricæ parentem fuisse auctorem, & postmodum demum adeo rabiose maledico ore concludere. Data hac etiam aqua, nondum euicisti, fatue, eandem accusandam tot flagitiorum, scelestе, quemadmodum deinceps abunde auditurus es. Quare sic contra os tuum impudens & diabolicum argumentor:

Aquam antipodagricã Rul. accusat Oberndorferus, veneficii, Rul. vero damnat flagit. & cas.

Qui bono viro alienam medicinam veneni etiam nondum euictam, affingit, maledicendo ipsi iniuriosissime, is omnis boni viri nomine & honore excidit, & bipedum nequissimus:

Oberndorferus parenti meo affingit maledicus, alienam medicinam venenositatis nondum euictam:

Ergo Oberndorferus nequissimus omnium.

Secundum connexum eiusdem est futilitatis & nauci. Quid enim futilitatis & agyrtæ indicii, medicinam ad patientes, cuius sunt indigi, mittere? Medici officium est sanare. Sanitas restitui nequit absque medicina. Hæc vero frustranea, non cum ægro communicata. Fecit itaque parens officium boni medici, neutiquam negotiatoris futilis & agyrtæ. Verum tertium ipsum male habet, quod nim. crumena ære plena redierit ad patrem, iusto sostro accepto: Hoc inuides, Liuor, parenti? Vtinam tot vasa auro onusta recepisset parens, quot plena misit aquæ antipodagricæ! Ringi liceret; opimior enim nobis obuenisset hereditas. Interim tibi fas est, pro visitatione patientis vna deglutire ducentos thaleros, perperam tamen curati, sæpius mortui. Fas etiam tibi simplicia, quæ ne vitiosa quidem nuce emerent botanici, thrasonica iactantia magno diuendere pretio: hortum polyanthopœum tuum omnibus vt paradisum gloriose deprædicare: Parente sat maledictionibus diuexato, rabiosus me aggredi-

tur, & iisdem vestigiis insistendo aquam eandem præparasse, sed tanta astutia vt dolus non facile animaduersus fuerit. Eam enim me non omnibus postulantibus diuendidisse, sed in secretis tenendo solis podagricis, iisque diuitibus, quos in cura habebat, tacite adhibuisse. Vnde messem vberrimam me messuisse. De honore tuo, calumniator, tum demum melius agetur, quando carnifex dignū satyrographo de te sumserit supplicium, aut in lumbifragio Plautino dentibus effractis edentulus eris: secus non cessabis maledicere. Aquam antipodagricam parentem diuendidisse, vitio datur ipsi; me quidem non vendidisse, & adhibuisse podagricis, sed pecuniosioribus magno reportato pretio: Et hoc mihi vitio vertitur. Quia nihil nisi quod ipse facit, rectum putat, sceleratissimus licet. Syllogistice tecum agam:

Qui aquam antipodagricam (non fictam tuam & aliam *) iuxta artis leges patienti adhibentem calumniatur, fraudis & astutiæ eundem insimulat, is nequam & calumniator est:*

Oberndorfferus me iuxta artis leges aquam antipodagricam patienti administrantem calumniatur, fraudis doliq; accusans:

Ergo Oberndorfferus nequam & calumniator.

Me messem messuisse auream inde, mentitur. Contentus semper fui meo salario, quod testor omnes vbique locorum, quos curaui, patienter. Absoluto patre & filio, præceps ruit furiosissime in fratrem Andream, emēdicationem per viscera Christi ei exprobrans conditionis Ratisponensis, & aucupii lucrosi diuendēdo aquam antipodagricam, formulis Germanicis hinc inde sparsis, numos acquirendi gratia, probrose condemnans. Habeo, quæ dicam. At quia loripedem rectus non irridet, nec æthiopem albus: ideo calumniatori respondeo: *Mendacium esse, fratrem per viscera Christi & vulnera exorasse conditionem Ratisponensem.* Supplicauit Amplissimo Senatui pro vacante tum conditione, intercedente sereniss. Archiduce Matthia, Comitiis tum Ratisponæ habitis præsidente. Tuus autem affinis Lupus odio ardebat aduersus me adeo, vt iubente ipso, Senatus nobiliss. supplicanti fratri, & intercedenti sereniss. locum dare noluerit. Repulsam ferens frater refert id sereniss. Archiducis Secretario, cuius coniugem tum curabat, qui sereniss. intercedentem minus debite respici ægre ferens, Senatum accedit, & receptionem fratris vrget pluribus. Annuunt, fremente tuo Lupo: atque ita receptus est frater in numerum poliatrorum Ratisponensium. Mendacium itaq; *per vulnera & viscera emendicatam conditionem.* Negotiatio aquæ antipodagricæ fuit medica & decens: Si enim *pharmacopæo medicamenta diuendere liceat, decernente vel*

te vel non decernente medico: licebit & medico: At licet pharmacopœo: Ergo & medico. Si item *indecorum non est & fraudulentum, te alios〈q〉 medicantes herbis & verbis mercaturam exercere lucrosam, nec vituperium, fratrem diuendere pharmaca. At illud: Ergo & hoc.* Iterum: *Si tibi laudabile ex mortuorum tua culpa mercedem quinquaginta aureorum ronchiscando efflagitare & capere; nec fratri illaudabile aquam antipodagricam venum offerre iusto pretio accepto: nec lucripeta inde argui potest, nisi eum e tuo censeas cerebro, vt dolentibus e podagra, tibi hactenus implacabili, & deinceps, succurrat præsentaneo remedio, pium est, & officium medici pii: hoc fine principali incitatus, proclamauit alexicacon, paragoricum: At hic finis laudabilis: Ergo & ipsa actio non improbanda, multo minus conuitiis lacessenda, calumniator.* Si quid lucri inde ad fratrem redit, accidentis est & iustitiæ. Gratis enim nulli medeberis vnquam, nec id iubet iustitia: 5. de compos. pharm. sec. loca. & 9. medicamentum ex Galeno, qua Pamphylus Romæ cum vsus esset, plurima lucratus est: aliud item duobus talentis emtum. Hem, Galenum & veteres tuos, calumniator, antesignanos, quos tu crepas subinde, accusa iam negotiationis peruersæ, fraudulentæ, dolosæ. Argumentari itaque, si fas est, infero: *Si maioribus nostris & præceptoribus licuit honestate & iustitia inuiolata medicamẽtum vendere duobus talentis, patriis & aqua benedicta, & antipodagrica longis parasangis inferius, & vulgarius, etiam fratri Andreæ licebit vendere nobilius aequiori pretio. Illud approbatur. Ergo & hoc non improbes, calumniator.* Formulæ German. lingua exaratæ, quanquam circumforaneorum morem sapere videantur, solemne vt apud antiquos, ita & nostros medicos, longoque vsu receptum esse palam est. Antidotaria seu Dispensatoria quid aliud, nisi pharmacorum & medicinarum infinitum catalogum, proclamantia? Laudabile hoc, calumniator: non vituperabilis fratris Andreæ formula. Strabo *lib. 15*, in Epidauro Æsculapii templo pharmaca longo vsu comperta, inscripta erant: quæ Hippocrates succenso templo sibi cognita, velut e tenebris eruta, & ab igne vindicata diuulgauit. Quis nũc adeo stupidus & bliteus, qui non animaduertat Oberndorferum insanire, pura-puta mendacia & atrocia conuitia identidem euomere? Imparitatem facti infers? Paritatem regero finis; quia ea publicatio tam ad artis medicæ commendationem, quam eandem profitentium vtilitatem. Vnius rei plures fines. Apud Oberndorferianos anteit vtilitas non artis, sed artificis. Factum quadantenus licet dispar: finis tamen ratione par. In antidotariis enim quanquam quo ad ingredientia pharmaca cuncta patent cunctis; non patent tamen cunctis, quo ad vsum & ἐνεργείαν. Hoc latente, nullius vsus & illud. Si vsus, & illud medico debet patere, ad quid

Medicamẽtũ vnicum olim duobus talentis emtum fuit, populare licet & vile, calumniator & a Galenicis.

Medicamẽta in Æsculapii templo olim erant descripta, vsu comprobata. Plin. lib. 29. cap. 1.

publicatio? Ne pereat thesaurus. At is cuilibet medico obuius, quia natura ferax & medicus Physicus. Castigas linguam fratris & patris. At & maiores sua sunt locuti lingua, non alia. Vsum, obloqueris, promulgarunt, tacente remedio. Hoc patuit semper, & medicis, & vulgo. Huic autem id patuisse, friuolum est, & noxium. Vsus nostrorum a meis, solis medicis medicamenta possidentibus & iure. Si enim vnum vituperabile, erit & alterum. Res propria penes possessorem: stultumque omne bonum communicatiuum. Et hoc affirmandum, quando communicatur remedium vsu ostenso, & sic omne bonum vere sui communicatiuum, & nostra remedia, quæ tibi secreta, venenata tamen habita mendaciter & calumniose. Quare, *si aliis medicis licet cum laude medicamenta sua publicare cum & sine vsu, etiam patri & fratri fas erat, promulgare vsum omnibus ad salutem, remedio penes auctores & suos perseuerante.* At *illud*: Ergo *& hoc*, calumniator. Iam ad dogmaticum tuum de Podagra discursum: Risum interim teneto amici. Podagra tibi Oberndorfero (*Aret. lib. 12. c. 6.*) est *imbecillitas articulorum cum diuturna fluxione*. Definitio ista non est κατὰ παντὸς, nec καθόλου πρῶτον. Vitiosa ergo. Imbecillitas articulorum cum diuturna fluxione adest aliis multis affectibus, paralysi, lassitudini, &c. non tamen ii podagra. κέδματα Hippocrat. non tam ex fluxione, quam cum imbecillitate, non tamen podagra. Nec diuturna fluxio, quia affectus periodicus. Quod periodicum, non diuturnum: Interna & immedicata caussa sunt humores; inprimis aũt pituita, bilis, sanguis pituitosus, vel biliosus. Magnum te, & profunde doctum Doctorem esse oportet. Immediata caussa: cuius? imbecillitatis. At hæc symptoma facultatis motricis. Symptoma autem habet caussam immediatam, non humores, sed morbũ, cuius perpetuus comes. Nõ ergo immediata caussa podagræ humores. Hi tibi sunt inprimis pituita & bilis, sanguis pituitosus & biliosus. Illa intra vasa, hæc extra. Vtrobique igitur non eadem ratio fluxionis, & dolorem creandi. Bilis tenuitate & mordacitate aptissima ad doloris procreationem. Pituitæ est & frigiditate sua & crassitie potius sua obtundere sensum, ideo negare dolorem. De sanguine pituitoso eadem ratio & fortior, quia sanguis suo tepore addit pituitæ, & sanguis talis fit inhabilior, inhabilior ipsa pituita extra vasa. Mittendo alios positos succos, tute materiam pituitosam persequeris. Mitto & hoc, sanguine affirmata caussa continente podagræ eo non posse non phlegmonen creari: At abest phlegmone: Ergo. Fatuus es in describendo mobili, quod tibi materia pituitosa a capite defluens, per spinalem medullam, a spinali medulla ad os sacrum, ab hoc vsque ad ipsam coxam, hinc ad genu & articulos pedum. Mæandros fingis, & hu-

& humori pituitoſo affingis curſum. Perreptare tot loca, non eſt humoris pituitoſi viſcidi, craſſi, ſed tenuiſſimi, qualis eſt auctor paroxyſmi podagrici: Solius enim tenuitatis & ſubtilitatis eſt ſubito inuadere. Paroxyſmus autem podagricus momento citius incurrit. Argumento igitur, alium eſſe humorem ipſa pituita, cui ineſt lentitudo. Obſtat & craſſities, quo minus in-acceſſa loca ſe inſinuare poſſit, & oris vaſorum elabi. Delabatur autem e cerebro in ſpinalem medullam, dic medice laruate, cur de lapſu hoc ſuo non paralyſin, non ſpaſmum procreet, cum alias humore pituitoſo ibi loci affirmato, iſtos affirmari affectus neceſſe ſit?

Internam mediantem cauſſam ponis *imbecillitatem pedum*, quam in definitione tua aſſeruiſti affectum ipſum podagricum? Imbecillitas itaque, perſonate medice, effectus erit, non cauſſa mediata. Vt enim hæc nō poteſt eſſe effectus; ita nec hic illa. Imbecillitas pedum & articulorum deſcribitur nō tam dyſcraſia, quam vitiis organicis. Morbus itaque, ſi morbus, effectus cauſſarum morbificarum. Si cauſſa idem, ſymptomatū cauſſa, non mediata, ſed immediata. Nugamenta itaque tua τὸ θεωρεῖν, medici empirici cum ſit, vanum & nugax: quid περὶ τῆς μεγάλης καὶ μεθόδου ſperandum boni? Curationem methodicam blaterat conſiſtere in remotione humoris diſtendendo dolorem parientis & dyſcraſiam inferentis parti ſiſtere. Remouetur enim humor euacuatione, eaq; vel venæ ſectione, vel purgatione. Is vero vel fluxit vel deſiit. Qui fluxit, & paroxyſmus affligit cum dolore magno, tunc is leniendus, & ſi fieri poteſt ſimul cauſſa tollēda. Dum fit inflammatio, duplex nobis ſe offert indicatio. Quod enim in partem decubuit, vacuationem; quod adhuc in itinere eſt, ſui retractionem & deriuationem poſtulat: & quod partem iam dolentem obſidet, aut eſt impactum, aut non: prius repelli, alterum diſcuti vel vacuari debet. Hæc archiatri principum methodus illa decantata: Examinetur; *Humor vel influxit, vel deſiit.* Diſtinguis inter humorem fluxum, & deſinētem: At is qui fluxit, nonne deſiit fluere? Σολοικίζεις itaque. Humor qui influxit, euacuandus tibi ne, vel venæ ſectione, vel purgatione? Negas: ſtatim enim ais, qui fluxit, & paroxyſmus affligit cum dolore magno, tūc is leniendus, & ſi fieri poteſt, cauſſa ſimul tollenda. Tolli nequit euacuatione vniuerſali; quia partibus iam inhæret fixa: nec purgatione, nec venæ ſectione etiam repetita reuocabilis, loci intercapedine longiſſima etiam reclamante. Itaque id quod influxit, indicat eius quidem euacuationem: ſed non vniuerſalem: particularem igitur. Verum hoc, non niſi affluente humore vniuerſali reuocato perfici vtiliter poteſt, quia illud ab hoc dependet, vt continens ab antecedente, τὸ γεγονέναι, ἀ τῷ γίνεσθαι.

Quanquam raro influxurus humor vniuersali reuulsione vel per purgationem, vel per venæ sectionem præcauetur dolore vigente: Huius enim est fluxionem concitare diurnando, ideo accidit, vt nulla plethora vel ad vires, vel ad vasa præsente, omne quod habile & mobile trahatur, ad dolitantem locum. Imo, negato dolore, & plethora omni imbecillitate articulorum duntaxat affirmata, quicquid in corpore sequax humoris, eo ruat, articulis naturæ iam locum omnibus excrementitiis suis excipiendis destinatum cõcedentibus. Valeat hic venæ sectio: exsulet purgatio: aliæ indicationes. Dolor, etiam te, sapienter, est miraculum! monente, omnium primo leniendus; quia vrget, & si fieri potest, simul eius caussa tollenda. Primus & supremus scopus in curatione podagræ igitur est & erit *demulcere dolorem*. Hoc autẽ fit triplici ratione: tollendo caussam dolorificam, administrãdo anodyna, tum narcotica: *Gal. 12. m. c. 1.* Atq; tantum de podagræ curatione. Aquam antipodagricam methodi datæ trutina examinandam Polypheme, inflatis buccis suscipis : conatu tamen vano & infelici: Aqua antipodagrica Rulandi empirica prorsus anilis, nõ caussam tollens, nec dolorem leniens, sed augens, qua hactenus multos nefarie fefellerunt, infatuauerunt quamplurimos, si nõ occiderunt plurimos. Vnde perfidiæ & sceleris crimine sunt merito accusandi, vt quod sine omni conscientia, omni seposita religione, quam ore iactitant, vita & operibus abnegant, aqua hac antipodagrica, quæ aquam fortem, minium, & mercurium sublimatum, vt venenata in perniciem hominum recipit, impie abuti non sunt veriti. O maledicentissimum os! homo & temeritate inaudita, & impudentia profligatissime. Probatumne abs te, aquam antipodagricam Rulandi eam esse, quam tu a Mentzelio acceptã edidisti? Nonne cautius te agere oportuit, & veritatem medicamenti prius explorasse, quã in tot conuicia, calumnias, mendacia furibunde irrumpere. Nego, & iterum nego parenti eiusmodi aquam vnquam fuisse, multo minus vsurpatam. Plaustrum itaque calumniarum & iniuriarum, quibus me consectaris, iure quo possum, in os tuum diabolicum regero. Negas paregoricam aquam esse? Affirmant centuriæ patriæ : Et testes sunt in viuis, affirmantes idem. Mentiris igitur: omnes sanare impossibile est: ideo est improbanda, & diris deuouenda remedia. Si iuuit, non semel, sed toties, quoties rite fuit adhibita, non amethodica, non anilis, nõ dolorem augens. Auxerit dolorem, non ideo cessabit paregoricum: accidentis vitio obtingit. Aucti & tuis cataplasmatibus, oleis, & similibus anodynis; non propterea desinent esse anodyna asine. Quid istis, calumniator? infatuauerunt quamplurimos si non occiderunt infinitos. In-

Farrago cõuitiorum atrocium, quæ omni iure in Oberndorferum hominem ad desperationem mendacem & calũniatorem retorqueo.

ſanis trifurcifer : vnum produc, vſu aquæ antipodagricæ Rulandi occiſum, nequam : Medium forſan te cogit, vt calumnieris atrociter? Habet aquam forte, minium & mercurium : Ergo tot probris vexāda. Carnifici ſoluendum connexum. Nego minium & mercurium parētis aquam antipodagricam habere : proba tu, calumniator, contrarium, ſed in æternū non probabis hoc mendacium. Ergo nebulo peribis, & nequior reſurrecturus, & nequiſſimus cum diabolo mendacia tanta tibi filio ſuggerente, auernales aquas perpetuaturus. Minium tamen poſſideat: an miniatum remedium, beane, venenoſitatis accuſandum & tot conuitiis dignum? vſurpatores perfidiæ ſceleriſque crimine merito accuſandi? Caue dicas, calumniator: At rictu diabolico iſta crimina euomuiſti: In te ergo iure & arte referenda. Calumniatorem te eſſe, & aſinum, venenatorū remediorum ipſummet vſurpatorem, demonſtro hoc ſyllogiſmo te cōſtringendo, vt quo te verſurus ſis, neſcias: En cape hoc calumniator: *Qui medicamentis miniatis vtitur, is perfidiæ & ſceleris crimine merito accuſandus, & venenoſitatis inſimulandus: Oberndorferus miniatis vtitur medicamentis: Ergo Oberndorferus perfidus, ſceleratus, & venenorum adminiſtrator.* Propoſitio eſt Oberndorferi totidem verbis: Aſſumtum probatur: Familiariſſimum eſt Oberndorfero *Vnguentum e minio, & ceruſſa ceratum. Vnguentum e tutia Galeni : Ceratum diadictamnu Gal. vnguentum apoſtolicum: Vnguentum e lithargyro Meſuæ : vnguentum album camphoratum, &c.* Iſta omnia habent *minium, lithargyrum, ceruſſam.* Ergo *Oberndorfero iudice, venenata.* Ceruſſam & lithargyrum non minium eſſe infers? Minium non ſunt, ſed affinia tamen, & eadem principia participantia. Minium tibi venenatū propter mercurium. At vtrique ineſt multum mercurii: Ergo *venenata ambo.* De mercurio ſublimato idem obratiocinari poſſum tibi. Vt minium, ita & mercurius ſublimatus, quanquam intro ſumta nocentiſſima ſunt; nō conſequens eſt, logodædale, externis applicita, perinde ſe habere. Quemadmodum medicamenta ex illis parata & innoxie adhibita, luculentiſſime teſtantur. Vide Rondeletium, Foreſtum, illiuſque pharmacopœiam excute, huius vero librum de *Lue Vngar.* & fucis ad ruinas & ſciſſuras manuum pedumque, tum alios internos affectus infinita remedia præſcribentium, quæ ex ſublimato conficiuntur, & impune vſurpantur. Neſcis fucos in Italia vſitatiſſimos eſſe, eoſque ex ſublimato conflatos Sereniſſimo Duci cuidam fucus iſte approbatiſſimus & innoxius : ℞ *ſublimati lib. j. bulliat in lib. j. aquæ ciſternæ, quouſque ſentiatur aliqua acrimonia in lingua.* Poſtea adde *ceruſſæ* ℥. *vj. Bull.* parum: clarificetur cum *album, ouorum, n. vj.* Colctur & vſui reſeruetur. Quare ſi parti nobiliſſimæ, faciei ſcil, re-

Oberndorferus demonſtratur non ſolum calumniator nefarius, ſed venenatorum medicamentorū vſurpator.

F

medium ex ſublimato affrictum crebrius citra damnum & noxam vllam vtiliter vſurpatur, etiam ignobilioribus ſine detrimento & periculo ex ſublimato confectum medicamen adhibebitur. Illud vero verius: Ergo & hoc. Tu itaque perfidus & venenoſiſſimus ſcurra, qui abſq; fronte, quicquid tibi ſuggerit diabolus, in publicum proferre non erubeſcis. De aqua forti quæ blateras, nugamenta mera ſunt Negas? Pudenda ergo tua, quibus impudice ſuperbis, in lucem protraham, ſcurra: Aquæ forti tanta vis eſt, vt ſolidum metallũ diſſoluat minima quantitate. Ergo mercurio ſuo ſublimato aſſociata articulis per ſe iam ſatis afflictis, adhibita plurimum calamitatis inferet. Sed falleris non ſequentis elencho: Quanquam aquæ forti ineſt vis illa diſſoluendi metalla ſolida, non habebit tamen eandem in artus humanos. Quantum enim diſtant artus a metallis, & hæc ab illis; tantum diſtabit operatio aquæ fortis vtrobique. Imperitiam arguis tuam, dum aquæ forti attribuis tantam ſoluendi vim. Solida metalla minima quantitate ſoluit: Inde ei aurum metallorum ſolidiſſimum, videbis ſolutionem ad Græcorum calendas. Vix calcem ſoluit auri, & non niſi ſtimulo addito, idque magna difficultate; quomodo ergo ſoliditatem auri diſſipabit? Ceterum peruerſitatem hominis impudentiſſimi propono, dum aquam fortem ſimpliciter talem tot laceſſit conuitiis, eam tamen nunquam ſolum & impermiſtam adhibitam. Si ea impermixta adhiberetur, proculdubio noxius eſſet eius vſus: At impermiſta non venit in vſu. Nihil itaque periculi ab ipſa aliis multis, & quantitate ſuperabundanti, & qualitate eius acrimoniam retundentibus admixta. Tot teſis me hactenus es adortus, ſed omnia excepta. In vanum itaq; hactenus pugnaſti, calumniator: Iam confugis ad teſtes medicos Cæſareæ Maieſt. cubicularios. Tuæ enim cauſſæ diffidis, quia improbus & mẽdax: ideo accerſendum aliunde auxilium, quod tibi tamen parum pręſtabit. Prius vero quam cenſuram tuis appingas ſcurrilibus, meam perſtringis conditionem, ne quidquam intaminatum abs te prætereatur. Cubicularios medicos Cæſar. Maieſt. me non agnoſcere collegam, ſed alieno nomine me ſuperbientem, laruatum medicum putantes, effutis impudenter. An hoc vero conſonum, dubito, quia mendacii iam es multoties conuictus. Eſto, ſi me non agnoſcunt, nec ipſos viciſſim agnoſcam collegas. Nec conditione, nec titulo ſuperbio, calumniator; ad vtriuſque poſſeſſionem nolens vocatus. Satis eſt, me a Cæſarea Maieſt. in ſuorum Medicorum numerum eſſe clementiſſime electum. Pro foribus ſtare prandente & cœnante Cæſar. Maieſt. nõ eſt proprium medici cubicularii: ſed hoc arguit cubicularium medicũ, quia proprium Medici, Cæſareæ Maieſt

An Rulandus cubicularius Caſ. Maieſt ſit medicus, quod allatrat canis Oberndorferus.

iestate ex arte mederi. Vtrum hoc, propriū cubicularii Medici officium pro mea tenuitate non semel, diuina aspirante gratia fęliciter præstiterim, citatos testes iterum rogita viros integritate vitæ, & doctrina excellentissimos, qui te turpiter mentiri, & ob scurrilia & nefanda scripta supplicio dignum esse respondebunt: sed iam censura dispicienda. *Certum est, nullum esse tam bonum & præstans medicamentum, quod temere vsurpatum non plus incommodi, quam vtilitatis afferre possit, & eo quidem magis, quo sua natura id fuerit periculosum, ac minime tutum, cuiusmodi vtplurimū sunt, quæ admodum fortia & potentia, ac praua qualitate prædita medicamenta recipiūt.* (Hactenus nihil aduersus aquam prolatum; sed id duntaxat, quod sententiæ nostræ suffragatur) vt ex omnium fere dogmaticorum & rationalium Medicorum consensu esse existimatur aqua illa fortis aurifabrorum, ob nimiam suam acrimoniam: (Peracris est ista aqua; est & acetum, vinum, fex vini, salia: at veniunt in vsum medicum. *Quod nimia acrimonia excellit, id foro medico expellendum: Aqua fortis nimia acrimonia prædita est.* Ergo *exsulet medicina.* At quis maiorem dogmaticorum approbabit? Quid acrius aceto, sale, & flore æris? At sunt in quotidiano vsu. Quid vnguento Ægyptiaco acrius? At id creberrime vsurpatum maximo vsui exulceratis internis partibus adhibitum.) qua tantum abest (nostro quidem iudicio) vt dolorem & fluxionē sedando possit podagricis prodesse, vt maxime in principio & augmento fluxionis potissimum vsurpata, vtrumque & dolorem scil. & consequenter fluxionem adaugere valeat. (Dolorem sedasse sæpenumero centuriæ testantur paternæ, & vsus eius etiamnum cottidianus. *Quod dolorificam caussam tollit διαφορήσει, id dolorem demulcere potest: Aqua antipodagrica rite exhibita egregie id præstat.* Ergo. Aliud autem est de aqua forti simplici inferre, aliud de permista. Hic secus affecta est: ideoque secus affectas oportet ἐνστάσεις & argumentationes. Multa habet admixta, modeste temperantia, repellentia, digerentia, dissipantia, vt chymiatriæ genuina descriptio mea docebit. Nec adeo temere exhibetur, vt calumniator Oberndorferus mendax. Caussa antecedens, indicatione præsente, vel purgatione, vel venæ sectione, vel tollitur, vel acciditur, vt nullus metus fluxionis, & hinc doloris.) Eoque deterior & periculosior fieri videtur, quando mercurius sublimatus ei adiungitur. (Mercurium sublimatum aqua antipodagrica patris nunquam habebat. Mentitur Oberndorferus, si asserit. Sed habuerit (vel largiar tantillum) quid inde noxæ inferretur? An quod cum venefica etiam qualitate tum sit prædita, & per arterias cordi sese paulatim insinuans vitalem facultatem maxime oblædere possit? At mercurius sublimatus non vene-

An, & quomodo sublimatus mercurius venenum.

ficus est, nisi ratione salium arrodentium, quibus tantopere est diuexatus. Istis admistione aquarum aliarum liberatur mercurius, & ex veneficio redit ad beneficium. Nulla itaque venefica qualitas sublimato loto. Nec etiam praua aquæ forti qualitas. Hæc enim omnium consensu chymicorum ex vitriolo & sale nitri fit. Vtrumque tam intro sumitur, quam extra applicatur citra noxam & periculum. Diaspoliticon Galeni nitrũ habet, & id exhibetur cum fructu. Taceo iam vsum eius cottidianum felicissimum in Febribus malignis. Negatur itaque malignitas & veneficium: negatur & communicatio eius cum corde: Sed & affirmata huiusmodi venefica qualitate, negatur tamen participatio. Tam facilis enim mihi negatio, quam vobis affirmatio. Quid pompholyge venenatius? At oculis adhibetur impune sine vlla veneficii participatione. Fuci ex sublimato in Italia & Galliis frequentissimi, & tenellulorum faciei affricti innoxii: Ergo & si aquę nostrę mercurii admisceretur sublimatus, qui tamẽ admixtus est nunquam. Galenus quantopere commendat in podagra emplastrum suum Diachalciteos? At hoc habet vitriolum. Quid? In *lib. de facult. part.* cataplasma conficit ex fæcibus aceti: quid erodentius hisce fæcibus. Attamen Gal. probabile & deosculandum remedium scil. De sinapismis dicam nihil. In Ischiade consultis vt exposuit 10. *de simplic. medic. facult.* tapsiam, nasturtii sem. adarcen, alcyonium, stercus columbinũ aridum, sinapi, flammulam Iouis, &c. proponendo quæ partim impense calida sunt & acerrima, partim etiam maligna qualitate non carentia. Si itaque hæc tuto adhibentur & adhibenda consulit Galenus, etiam aqua antipodagrica tuto adhibebitur, præsertim tot documentis præmunita: At illud: Ergo & hoc. Si etiam id quod exulcerat, vtiliter adhiberi potest, citraque noxam, etiam id quod non exulcerat, aqua scil. antipodagrica. At illud affirmatur: Ergo & hoc.) Valeas itaque cum tuo testimonio calumniator, & disce deinceps cautius agere. Ad cingulum iam, vt vocat thraso, sapientiæ.

IV. *Cingulum sapientiæ.*

Id nominis imposuit calumniator cingulo, nõ frater (vt calumniatur impudens scurra) quo rabiem suam probe exerceat in Ruland. Ast quia omnes chartas nugis & calumniis explet: tempus vero nundinarum instans acceleratione responsi vrget, concisius deinceps cum calumniatore agam, momenta rationum & veritatis, quorum certe perpauca aut fors nulla aderunt, remissis in os ipsius contumeliosissimum cunctis conuitiis, & iniuriis, præteritisque nugis, consideraturus, & pro virili responsurus.

Descri

Descriptio cinguli.

℞ *Argenti viui vnc.iij.*
Ol.vitrioli vnc.sem.
caryophyll.drach.j.
heraclini
sulphuris ana drach.ij.
Album ouorum n.2.
Salis gemmæ
Ceræ ana q.s. F.massa.

Vtrum descriptio sit genuina & vera, ignoro. Qui semel mendax & perfidus, semper mentiri & perfide agere præsumitur. Nullam hactenus medicinam vere descriptam promulgauit. Ideo & hæc fucata erit haud dubie. Inibimus examen, fratris cingulum (quod ego nunquam probaui, eius vsum felicissimum licet apud quamplurimos expertus) propugnaturi.

Cingulum sapientiæ Oberndorfero est remedium nociuum, venenatum, ideo damnabile, prohibendum: Argumenta quibus nisus præter plaustra conuitiorum & iniuriarum sunt, quæ sequuntur.

Prius quam excutiantur calumniatoris argumenta fatua infatuati, virtuti cinguli a calumniatore fratri afflictæ, quasi fratri cingulum hoc, singulare medicamentum ad morbum Gallicum, fœdamque scabiem & vlcera maligna curanda munimen, si auctoritatibus locus, prout calumniator se egregie auctoritate Cæsareorum medicorum defensum, scil. turpiter putat, adferam a clariss. medico Parisiēsi Palmario subministratum. De hydrargyro inquit: *Argentum viuum impendio frigidum & humidum cum sit, simulq; insigni partium tenuitate praditum supra cetera omnia, qua veterum memoria celebrata legimus medicamenta, non modo calidorū humorum furorem atque impetum coercere, feruorem obtundere, siccitatem temperare, & malignitatē cohibere: sed etiam calida & sicca viscera ita humectare atque refrigerare potest, vt bilis minimum in posterum colligant. Qua vis effi-cit vt corpori prudenter & methodice illitum, aut intro sumtum (vtroque enim modo si recte praparetur, tuto vsurpari potest) omnis generis scabiem siccam & pruritum demulceat atque compescat, herpetes etiam tum miliares, tum exedentes coerceat, impetiginem & psoram tollat, lichenas & lepram, quantumuis inueteratam radicitus exscindat, incipientem elephantiam, qua minime hereditaria sit, intercipiat: hereditariam a semine ipsisq; natura primordiis cōtractam differat. In summa, omnem fœditatem cutis illitū, aut intro sumtum, nulla ventriculi noxa deleat, & exstinguat.* Vide calumniator nequā, quam Palma- *Laus hydrargyri intra & extra vsurpati.*

rius fratri consentiat, & eundem encomiis mercurii vincat. Palmarius vero Galenicus fuit & Terneliana soboles. Responde impudens blatero prudenter de mercurio docenti: si fratris ista encomia, bone Deus, quot conuitia, quot mendacia a rabula Oberndorfero in fratrem. Iam ad argumenta, quæ contra cingulum, quod scurra indigitas sapientiæ, ex profundis Bœotici ingenii deprompsit: pretium vero iniquum fratri pro cinguli vsu emendicanti impositum, vt mendacium purum-putum & calumniam in ipsum omni iure remitto.

1. Argumentum.

Non est alexipharmacum morbi Gallici, quia nec manifesta, nec occulta proprietate morbi fermentum deleat & euincat, quod alexipharmacorum proprium.

2. Quin potius duntaxat frigore idipsum initio repellit, & alia incognita vi ad tempus cohibet, stupefacit, obtundit, & intus in partibus solidis veluti colliquat atq; constringit, dum tempore repullulet, atq; reuirescat.

3. Hinc vnum caput & cerebrũ maxime petit, quo immodicas destillationes mouet, ac crassum mucum, & pituitosam saniem syalismo expurgat; sed adeo crudeliter ægros angit, & excarnificat labia tumore diffundendo, gingiuas atque os ipsum depascendo, & magno fœtore, magnaq; molestia exulcerando, vt perire satius sit, quam tantis cruciatibus & laboribus morbo occurrere. Adde, in sputatione multos mori contigisse: non paucos in epilepsiam, apoplexiam, hydropem.

4. Historiolis clarorum virorum nocentissimum hydrargyri vsum euincere, Beieri, Cardani, Fernelii, Alexandri, Traiani, Petronii, & a fratre præpostere & infeliciter curatorum annititur. Concludit tandem cauinum examen solemni Cæsareorum Medicorum cubicular. censura scilicet.

Excussio 1. argumenti.

Cingulum ex hydrargyro aduersus luem Gallicam deprædicatum non est alexipharmacum: Ergo *impostorium.* Antecedens mendacium scatet petitione principii. Proba fratrem pro alexipharmaco deprædicasse cingulum mercuriale, fatue: proba impostorium ideo, quia negatur alexipharmacum. Petis iterum principium a fine, non esse alexipharmacum morbi Gallici, quia nec occulta, nec manifesta qualitate eũ edomet, licet id totum ex Palmario descriptum verbotenus. Si nugari & mentiri differere foret, præstantior Oberndorfero nec orbe terrarum, nec maior differtator. Palmario, Paræo, Renealeno, Quercetano, Rondeletio locupletissimis testibus, hydrargyro tam intro assumto, quam extra adhibito, rite vt manifesta, ita & occulta qualitate venenum Gallicum fuit expugnatum,

reliquis

reliquis medicamentis e ligno guaiaco, & sarsa parilla incassum adhibitis. Alexipharmacum igitur hydrargyrum. Alexipharmacum *guaiacum*, *sarsa parilla*,&c. veneni Gallici? Quo fundamento calumniator Palmari? Ex hoc enim furcifer totum hoc tuũ exceptis calumniis, quæ ex te, suffuratus. Quia experientia constitit, ligni guaiaci vsu dextro profligatum venenum Gallicum? Ast eadem patet, non exactum illud, sed sæpius repetito, vires acquisiuisse venenum, & altius radices egisse; mercuriũ tandem accersi oportuisse, cuius auctoritate malum inueteratum cesserit. Mercurii igitur alexipharmacum veneni Gallici. Hoc enim non nisi indicat alexipharmacum, quia venenum occultum; quia occultum occulto propulsatur scilicet. Et hæc dogmaticorum deliria. Si occultũ occulto pellitur, venenumque latens fugatur alexipharmaco, quamobrem tantopere desudatis dogmatici in exquirendis manifestis qualitatibus ligno sancto, sarsæ,&c. inditis, non acquiescentes suauiter vestris occultis asinorum figmentis? Quod in sensus incurrit: id occultum esse nequit: Effectus ab occultis vobis editus qualitatibus tam patescit sensibus, quam is, qui a qualitatibus tibi elementari medicastro manifestis. Sed ad cynosarges cum istis occultis.

2. Argumentum.

Quin potius summo duntaxat frigore,&c. totidem verbis ex Palmario de morbis contagiosis transcriptum. Vt enim mendax est Oberndorferus natura, ita ex suo ingenio nihil veri & eruditi depromere valet alienæ indigus opis. Sed Palmarius hallucinatur elencho nõ caussæ, & accidentis, petitque turpiter principium. Affirmat *mercurium venenum Gallicum intro pellere, stupefacere, &c.* contra *cap. 3.* ibid. *fundere eundem atque liquefacere pituitam, alui profluuia accersere.* Mercurium ἀποκρουστικὸν & repellere, refrigeransque putare puerile est. Si namque vnumquodque tale censetur esse, quale effecta inde prodeuntia ostendunt: Mercurio autem caliditatis omnia potius excedentis, dissipantis, consumẽtis energeiam maximam inesse, ipsis furnariis & artificibus perspectissimũ sit, quomodo repellendi aut refrigerandi vi hydrargyrũ per se pollebit? Quod liquefaciendi & fundendi per se facultatem habet, id sane contrariam per se virtutem possidere nequit, cohibendi scil. & repellendi. Implicat enim contradictionem: insuper penetrare intima astruit, quod effectum est non obtundentis cohibentisque per se. Nec constare simul possunt hydrargyrum vndiquaque expurgare humores & excrementitios, venenũ Gallicum fouentes, & eundem cohibere & constringere illud ipsum. Aperta contradictio: Itaque aut hoc negandum, aut illud. Illud negari ne-

quit, effectibus conspicuis affirmantibus: chæradas exstirpat, profusa per os maligna pituita, quæ in capite redundabat, illiusque in subiectas partes delabens illarum caussa fuerat. Scirrhos etiam emollit atque resoluit. *Quod eiusmodi frigidum asseri potest & summo frigore ἀποκρουστικὸν, & intropellens: quod scirrhos resoluere atque emollire natum est, illud ἀποκρουστικὸν non potest esse & intro pellens. Hydrargyrus Oberndorfero ex Palmario assertore, scirrhos emollit atque resoluit*: Ergo *hydrargyrus ἀποκρουστικὸν, & intro pellens, non potest esse*. Propositionis veritas elucet iuxtapositione contrariorum, *emollire* & *resoluere: constringere* & *cohibere*. Hoc enim affirmato negatur illud, contradiciturque; *emollire* & *resoluere, non emollire, non resoluere*. Hydrargyro itaque τὸ ἀποκρουστικὸν, & reliquæ facultates concomitantes frigus elementare, absunt per se considerato; si quid huiusmodi contingit, hydrargyro per se acceptum neutiquam ferendum, sed vitio accidentis obtigisse putandum.

3. Argumentum.

Effecta ex eodē Palmario furtiue lecta multis interim cōuitiis ingēti rictu recēset: hydrargyri syalismo, apoplexia, epilepsia, dolorib. & *συνδρομῇ* symptomatũ lethaliũ, horrescēdaq; carnificina furiose definiēs. Sed quia effecta sunt partim male administrati hydrargyri, partim aliorũ, non hydrargyri, peccat fatuus Oberndorf. turpiter elencho non caussæ, tũ accidentis. Cura ligni sancti & sarsæ perperam administrata, nunquam carnificina exercita abs te, & tuæ farinæ hominibus? Nunquam non? At cura ista & medicina probabilis, & salutifera, ad mortem licet plurium vobis medicantibus. Reichenbachensis præfecti affinem Ratisponæ per 13. septimanas curasse te memini ex colica, in πάρεσιν coniectum, & τῇ ἀτροφίᾳ iam exhaustum. Quæ tua methodica cura? Hæc scil. risum tenete dogmatici? Fuit purgatus extracto *cochiar. syrupo Fernel.* fuit digestus herbis omnibus, & radicibus omnibus: tandem ipsi exhibitum fuit decoctum *ligni sancti, sarsæ*, & vt afflicto maior adderetur afflictio, o flagitium! Sudor prouocatus ad animæ exspirationē. Ita & dominus Christmannus Neoburgi præfectus in Pulenhofen fuisset curatus, & suo decocto ligni excarnificatus, ni manus tuas mortiferas mature effugisset. Quare vt bonis remediis, quibus es abusus, stolida tua methodo curandi, non culpa medicationum infelicium, & mortis asscribenda: ita nec hydrargyro. Palmarium audi, scurra, quem pro me contra te, imo contra seipsum allego, quia tua ex Palmario ad verbum exscripta, facientia ad tuum pudorē obtinendum duntaxat, cap. 3. de morb. contag. *His certe viribus, inquit, hydrargyrus præstat, & excellit, potestq; ab exercitato & prudenti medico ad multorum*

torum morborum profligationem vsurpari, qua arte & methodo, in singulorum morborum curationibus dicemus. Idem paulo supra: Qua res efficit vt corpori prudenter & methodice illitum, aut intro sumtum (vtroque enim modo, si recte vsurpetur, TVTO vsurpari potest) omnis generis scabiem, &c.

4. Argumentum.

Historiolæ allegatæ ab impudenti Oberndorfero vno eludi possunt verbo, & fallacia accidentis, tum caussæ notari; tum etiam mendatio puro-puto. Nam quod attinet ad pilulas, *Barbarossa* vocatas, omnibus artificibus, certum est, eas nunquam ex arte confectas esse, ideoque minus tutas. Nec mirum, mercurium in ossium cauernulis fuisse conspectum. Mercurius enim crudus & non rite elaboratus, ita deuoratus non potest non ocyssime diffluere, & vltro citroque permeare, minutissimaq; quæque penetrare. Quanquam Rondel. & Fallop. cum Paræo eas vtiliter vsurpatas testantur. Bayeri historiola imperitiam administrantis notat. Cardanus argentum viuum ad vncias duas inuentum ait in osse caluariæ mulieris cuiusdam: sed ambigit, verum dolor capitis exinde. Si exinde, alipta vel medicus taxandus, non remedium. Tuum documentum mendax est, quia tu mendax: Reus es; ideo tibi testari nefas. Ossa nigra & cariosa inuenisti cum micante argento-viuo. Si verum est hoc, mendacium est, mercurio ossa cariosa facta. Quod veneni Gallici est, non mercurii, falsarie. At ossa nigricant cariosa virus Gallico: Non ergo mercurio. Fernelius auctor grauis & verax in re graui & vera: verum cum tu mendacissime cum ipso, coriarii ante decem annos hydrargyro illisi, & post dolore syncipitis tentati, osse syncipitis paulatim computrescente & exeso, tandem frustulatim etiam excidente, sed & cerebro cum meningibus eadem putredine absumtis in abscessum conuerso, carnificinam hydrargyro, siue iam κατὰ λόγον, siue παρὰ λόγον administrato adscribis, mendacii & dementiæ famam effugere haut potestis. Effecta sunt & παθογνωμονικὰ morbi Gallici, fatue, si vnquam tractasti Gallicos. Zythepsæ (vocat beanus Zythepsam vt videatur Græcari: nam Germanice potest mentiri, lallare Italice: his enim linguis instructus est magnus ille archiater principum (ohe!) Germaniæ (sed titulanter, tum conuitiari diabolice) cereuisiarii Kauffmanni Ratisponensis coniugē cinguli vsu frater Andreas non occidit, rabies diabolica. Ῥοῦς γυναικεῖος ipsam per aliquot annos afflictauit, te, pharisæo & apothecario Christiano incassum medicantibus, salutem licet pollicitis. Ægra desperata, & ego vocatus, curante tum fratre: desperatam intellexi ex tabo vteri iamiam corrupti. Cingulum a fratre longe ante erat adhibitum, quam ego accersitus: Mentiris itaq; & ca-

lumniaris. Ex vehementia morbi iam significati obiit, non ex vsu cinguli longe ante adhibiti, administratique, quod frater in suspicionem venerit veneni Gallici, & inde gonorrheæ virulentæ. Præparato itaque corpore & euacuato, frustra omnibus tentatis, non præter rationem, vt tu calumniaris, nec fraudulenter, vt tua dementia fert furiosa, sed artis legibus vsurpauit cingulum. Hallucinatus tamẽ fuerit frater, scurra Oberndorfere, exhibito cingulo; nõne officio suo sati' fecisse putas, & boni medici vobis, qui misellam misere omni scientia & peritia exhausti, dereliquistis: vt mendacium vero rependam, medicastri senescentis experientiam longam, fratris adolescentis breuiori, feliciorem scilicet infaustæ comparaturus.

Monialem effœtam annis ad D. Claram Ratisponæ Oberndorferus medicamento expurgatam curauit, vt paulo post viribus & sanguine exhausta perierit. Admonitus ab Abbatissa eius monasterii de infausta medicatione, risit homicida, castigationem cachinnando, vetulam fuisse & orco iamiam vicinam respondebat bonus ille medicus. Id verum esse testor Abbatissam adhuc viuentem, & reliquas conuentuales. Superioribus annis D. Ebnerum cõsularem purgaturus exhibuit extracti cochiarum ad scrup. duos sem. Pharmacopœus mane medicinam oblaturus, ædes medicastri prᴂteriens reuocatur, & iubetur dimidiam duntaxat exhibere partem; cuius sumtione octogies excreuit, in parcsin & atrophiam lapsus, tandem excarnificatus medicina Oberndorferiana mortuus. En liberalitatem meam, calumniator! si non cessas maledicere, infinitate historiarum tuarum methodicarum & felicium curationũ te contundam, imo suffocabo. Alexander, Traianus, Petronius, Antonius item Gallus taxat abusum & imperitiam præparantium, temeritatemq; administrantium. Antonii vero Galli narratiũcula nihil ad rem. Minxerit hydrargyrum, & dealbarit nummũ. Quid ad tuam probationẽ calumniator? *Decoctum ligni guaiac. potantes, mictu reddunt decoctum*: Ergo *pernitiosum decoctum*. Consulem Regenstaufensem Tresseliũ vsu decocti guaiac. coniecisti in hydropem asciten, hinc in mortem methodica tua thrasonica cura. Si minxisset decoctum restagnans, vt Galli æger hydrargyrum, mansisset in viuis. Affingis & aliud nugamentum, quo chartas adaugeas, & testem producis Scheibium ingenio præstanti, eruditione perfecta, pietate summa præditum (scil. mulus mulum scabit. Eruditio ipsi sit perfecta, tibi est nulla, aut certe minor. At tute Scheibio tibi videbaris semper doctior. Non ergo Scheibio perfecta eruditio aut tua vana iactatio. Perfectam non fuisse Scheibio probo, quia *nec philosophus, nec chymicus*. Verum

vtrumq;

vtrumque ad perfectionem artis medicæ necessario requiri, demonstratum est olim. Pietas summa ipsi, quo teste? te? at tu mendax. Ideo testimonium vanum tuum. Fors Pharisaica fuit pietas. In quo liuor & auaritia dominatur, in eo pietas summa esse neutiquam potest: Vtrumque in tuo Scheibio: Ergo *valeas cum tuo testimonio.)* Sed quia elencho accidentis, non caussæ, mendaciique contaminatum est, ideo ad Cynosarges. Eidelhuberum cinguli fraterni vsu periisse, calumnia est. Ipsum cachecticum fuisse, & cinguli vsum dextrum neglexisse, in propatulo est. Vnde sapienter Hippocr. 1. aphor. *δεῖ δ' οὐ μόνον ἑωυτὸν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα καὶ τοὺς παρεόντας καὶ τὰ ἔξωθεν.* Magistratum amplissimum Ratisponensem fratri vsum cinguli minus feliciter administrati interdixisse mendacium est. Lupum affinem tuum ni velis intellectum, qui vt fuit de imperio satis, fratrem vt in vsu cinguli, ita & in medicatione sua certe longe legibus artis competentiore elephantiaco naso non semel, immerito tamen increpauit. Iam ad cubiculariorum S. Cæsar. Maiest. medicorũ eloquium, quod tibi admodum adstipulari tripudias, asine: Deficis sub ingenio & verecundia; ideoque ad auxiliarem cohortem & magnificam, quia Illustria Illustres sequuntur. Inunctiones ex hydrargyro etiam in morbo Gallico merito a probatissimis medicis improbantur, quod potissimum humores prauos ac malignos in totius corporis habitu cõtentos ab ignobilioribus ad meliores partes, cor scil. hepar & stomachũ non sine magno periculo repellant. (Fratris inunctio hydrargyri non est, sed ignobiliori parti eiusdem annexio probe edomiti. A probatissimis medicis hydrargyri inunctionem improbari, probatum non est. Probatur inunctio Rondeletio, Platero, Augenio, Palmario, Foresto, Quercetano, Rencalmo, Amato Lusitano, Paræo, productis exemplis feliciter curatorum. An non probatissimi hi medici? Quanti facit inunctionem hydrargyri methodicam Nicolaus Massa? Ab ignobilioribus ad nobiliores partes, cor, hepar, &c. malignos humores repelli in habitu corporis contentos vsu hydrargyri non video. Quippe inuncti tam sudare cogũtur, quam potati ligno guaiaco. Nec venenum Gallicum in habitu semper cõtinetur, sed partibus nobilioribus vt plurimum: quod tantum abest ad cor, & principes partes præcipitari, vt per loca naturæ conferentia, per emunctoria a natura excernendis superfluis & prauis dicata, nares scil. os, posteriora & sudorem expellatur.) Eo inunctionibus periculosiora videntur suffumigia ex cinnabrio mercurii sobole, qui id velocius & impetuosius ob vnam sæuitiam & penetrationem efficiunt, & si subiecto capite vsurpentur, ad cor ipsum cum inspiratione immediate per-

Inunctio hydrargyri probatur doctissimis medicis, licet improbetur a med. Cæsareis.

tingunt. (Suffitum e cinnabrio periculosiorem esse inunctione non nisi κατὰ τι verũ. Vsu imperito & temerario periculosus est, vt gladius in manu maniaci: Rondeletius vt & Paræus multos se suffitu curasse gloriantur: Vsus itaque suffitus istis non periculosus. Mesue ad superfluam humiditatem pulmonum & pectoris accipit arsenicum tutum ac remixtũ cum vitellis ouorum: deinde accipit ferulam, & incidit eam per talceolas rotundas, easque illinit eo medicamento, vt siccentur. Fiat suffitus ex iis, & recipiat fumũ ex infundibulo. A simili suffitu non abstinuit Auicenna, Trallianus, Ægineta, Aetius, qui omnes, vt salutiferum posteris commendarunt, vsu tutum experti. Cor vapore peti non est verisimile. Si enim aeris substantia Cæsalpini opinione nõ ingreditur pulmones & cor, multo minus suffumigium istud. Munitur & cor, vt eius ingressum fugare queat. Quin & accommodatur a peritis, vt in partes affectas duntaxat exerceat suas vires, non sanas, prout est cor.) Ex his etiam patet, quid de cingulo ex hydrargyro sentiendum sit: (Nihil ex his patet, nisi hoc: *Si inunctio hydrargyri artis legibus vsurpata innoxia fuit, estq; etiam cingulum ex hydrargyro: Illud iam est probatum:* Ergo *& hoc. Si* item *vnguen. pediculorum, vngu. Mesuei ex hydrargyro citra noxam cum plurium salute vsurpatũ, etiam fratris cingulum: Prius verum*: Ergo *& posterius.* Clariss. viris & in re medica exercitatissimis, Platero, Planero, Zuingero nunquam non probabatur vsus cinguli ex hydrargyro: Et memini ac testes producere possum viuos, quibus frater cum salute applicatione cinguli est opitulatus.) Atque tantum de cingulo, de cuius triumpho asinus iamdudum gloriatus: sed quo euentu, vides. Si vitia, conuitia, verba iactabunda ex apologia battologica sustuleris, nihil supererit: Et tamen impudens blatero triumphare audes?

5. Aqua calcis.

A testimonio cubiculariorum medicorum Cæsar. Maiest. nobilissimorum, amicorum meorum, reflectit Oberndorferus, ad tuam vesaniam, aquam calcis examinaturus sua fatuitate. Mirum autem est, delirũ hominem medicorum Cæsareorum auctoritate mendacia, fabulas, calumnias suas nefarias lenocinio quodam fucare annisum; cum is, insita sibi superbia, qua omnes prę se contemnit, vt alios viros præstantes, ita & hos Cæsareæ Maiest. medicos, D. Octauianum Roboretum, Godofridũ Stegkium, Hectorem Moscagliam, superioribus annis parui admodum fecerit. Interrogatus enim a Palatinis Neoburgicis, *quidnam de Medicis Cæsar. cum quibus familiariter Pragæ esset conuersatus, censeret*; respondisse dicitur, audiente illud illustri Domino Barone Heorstentzgi, ex cuius

censura

censura mihi censura scurrilis: *Cæsarea Maiestati S. non esse eruditos peritosque medicos, carbonarios alios esse, alios vero garrulos asinos.* Quid accessionis honoratæ sperasses, Lector, si tum Cæsareæ Maiest. ego inseruissem? Sed ad examen, quod duo continet: Mendacia & discussionem vsus minus Oberdorfero methodici. Mendacia sunt, me care vendidisse & extulisse magnifice aduersus herpetem & ignem sacrum. Discussio vsus in Erysipelate fundatur bliteo Doctori argum. insequentibus:

1. Gal. 9. simplic. cap. proprio, omni calci in communi vim inesse igneam, mordacem: vnde excessu caloris nocet, qui tantus est, vt erodat atq; adurat. At in curatione Erysipelatis indicationes refrigerandi adsunt, repellendiq; ab vsu refrigerantium, digerendi, relaxandi, & leniendi.

2. In curatione Erysipelatis periti Medici magis student refrigerationi, quam exinanitioni, teste Galen. 13. meth. med. c. 8. qua sola Erysipelati sufficit, qua Erysipelas. At aqua calcis tantum abest vt refrigeret, repellat, vt exustionem potius excitet maiorem, locumq; affectum cito exulceret.

3. De præcauendo Erysipelate, blatero, multus multa garris, vt chartas scil. adaugeas, & battologia tua magnus refutator tui similibus videaris. Quid ad expurgandam aquam calcis προφύλαξις Erysipelatis, scurra? Qua ratione præcaueri possit Erysipelas, te tacente norunt eruditi, & te exactius.

Responsio ad 1.

Hoc duo euincere niteris magne nugator: *aquam calcis esse calidam, mordacem:* deinde *indicari refrigerantia in cura Erysipelatis, ideo non quadrare.* Caliditatem & mordacitatem probas hoc prosyllogismo: *Quicquid ex calce fit, illud est calidum & mordax: Aqua calcis ex calce fit:* Ergo *aqua ista calcis est calida & mordax.* Proposit. probas loco Gal. *9. simpl.* Sed locus tuã iugulat propositionem, negans, *omne ex calce calidum*, verba sic sonant: *Calx viua quidem vehementer vrit, adeo, vt crustas efficiat: exstincta vero protinus etiam crustam molitur ipsa: at post diem vnum & alterum minus vrit, minusq; crustam inducere potest. At vero progressu temporis prorsum ne crustam quidem gignere valet, tametsi etiamnum calefaciat, carnemque liquat. Porro si lauetur in aqua, suam mordacitatem exsuit, efficitq; nuncupatum lixiuium. At ipsa absque morsu desiccat.* Mentiris itaque omni calci exurendi & calefaciendi vim inesse, idque statuisse Gal. *l. citato:* Si enim calx lota igneam vim exsuit, non lota retinet, alia calx mordax erit & ignea; alia secus affecta. Propositio itaque tua particularitate peccat stolide. Sed concedam consecutionem, & dem, aquam calcis calidam esse, ne rudis plane ad examen accessisse videaris. Interim te fatuum esse scito, *aquam calcis mordacem esse & exulcerantem,* fingendo. Calx talis esto: non sequitur ideo

aquam inde talẽ fore: Accedit enim aqua, quæ alia, quam vt induat qualitatem puram calcis. Tollit, Galeni iudicio, istam causticam qualitatem aqua calce: At non solum hoc, sed & obtundit: Non enim transmutat totam aquæ naturam calx; alterat duntaxat. Actio & passio inuicem commissa. Ergo de ignea & caustica calcis vi in aquam deposita integre nugæ meræ: Quia vtrobique actio & passio facta. Ita euenire videmus in aqua forti, quam tu cum Cæsareis medicis adeo exagitasti; aqua enim fortis, quæ aurifabrorum operibus inseruiuit, & portionem aquæ admisit, vel per se ignara iam facta colorem cyaneum acquisiuit, *aqua secunda* vulgo dicitur, qua nihil communius in chirurgorum tabernis ad illorũ subsidium, qui Veneris mephitum attigerunt. Adest indicatio refrigerandi, repellendi: nugaris. At *aqua calcis calida, mordax: Ergo aduersatur indicationi*: ideoq; empiricum remedium. At tu empiricus insulsissimus, qui huiusmodi fatuitate in publicum prodire audes, me obscuraturus, & te exaltaturus, scil. ad crucem. Indicationem adesse refrigerandi partem Erysipelate obsessam, hinc digerendi & relaxandi; asine, methodum anilem, stolidam, bacchantissimam tuo stolido cerebello effingis: Profiteris Erysipelatis caussam omnem materiam biliosam, tenuem, amaram. Hæc indicat sui refrigerium. Sit ita: refrigeretur & repellatur foris adiectis refrigerantibus stulte & mortifere. Repulsa materia tenui & refrigerata, hoc est, temperata iam seu alterata & repulsa materia, quid opus digerente & relaxante? Quod iam est retusum, temperatum, quod & repulsum, quid indicet digestionem & relaxationem, methodice asine? scopi *ἀντιπίδικτικοὶ* sunt contradictorii, *repellere, refrigerare biliosam materiam, & eandem digerere & relaxare, vnam & eandem partem obsidentem.* Hæc tua methodus coctor calumniarum & mendaciorum. Indicationem vero in Erysipelate Galeno, Paulo, Æginetæ, Auicennæ, & sibi vanam & mortiferam esse, hisce tibi demonstro rationibus, ne futilibus & calumniosis verbis tecum agere, & idcirco tibi similis videar bonis & cordatis. Galenus cum nominatis refrigerantia, eaque ad quartum gradum frigiditate excedentia topica parti Erysipelate occupatæ applicare consuluit: nec hæc solum & simpliciter talia, sed & astringentia repellentiaque, nec ab opio & mandragora abstinens. Atqui humor iste repellendus, refrigerandusq; non modo acris, sed & prauus atque malignus, indicatione refrigerandi & repellendi peracta, aut ad partes principaliores, a quibus semper eructatur ad partes ignobiliores, contra omnem rationem, cumque periculo vitæ retro pellitur: aut in loco ignobili restagnans in suppurationem & putredinem malignam facessit prohibita diuaporatione.

Erysi-

Eryſipelas enim tumor eſt præter naturam in cute a ſanguine & flaua bile calidioribus, vel a ſanguine feruente, tenuique proueniens. Cum ergo tumor ſit ad ſolam cutim pertinens, nec ſubiectas cutis partes inuadens, ab humore tenui, eoque feruido genitus, reſolutione, non ſuppuratione, aut putredine ſolui debet, empirice ſenex. Si enim in ſuppuratum aut putredinem deſinat, prauitas quædam ac malignitas ei ſubeſt, ob id in malis iudicandum. Argumentum enim eſt, Eryſipelas in profundũ ſubire, carnemq; ac membranam ſubiectam erodere ac corrumpere: vnde periculum imminet gangrænæ, aut ſphaceli. Hinc Hippocr. l. VII. part. 20. *ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν ἢ ἐκπύησις, κακόν.* Verum id eſſe, & talibus Eryſipelatis curationibus, vt Italorum, ita & tuis ſuperueniſſe gangrænam & mortem ipſam, peruulgatiſſimum eſt. Vnam ex centenis producam. Portnerum iuniorem Ratiſpon. illum videlicet, qui habebat pro vxore Eckenthalerin, quæ vidua poſt nupſit nobili Domino Paulo Meyſingero iam apud eũ, qui dedit animam, ante annos viginti Eryſipelate in pede obſideri cõtigit, non ſine febre. Accerſitus tu, more tuo, affectum luſiſti, refrigerantia interim affatim apponendo, fors opimæ hereditati inhians (erat enim vxoris tuæ frater vnicus viuente adhuc ſocero tuo) ex morte eius. Succeſſit curatio & votum; ſpatio enim tridui mortuus. Peſte ipſum dixeris correptum. Peſtis, aio iterum, ægro, ideo nefarie abs te curata, ſed non tuæ crumenæ, quæ vſque adeo referta hereditate iſtam & auro argentoque, quibus illuſtres Græciæ, & in Bauaria emunxiſti nobiles, vt ſingulos filios & filias (hoc enim fuit ſputum tuum virulentũ apud Würtenbergenſes Legatos in Comitiis anno 1603. habitis, ſæpiſſime exputum, vt in prouerbium Legatis Würtenbergicis præſertim D. Doldio abieris, & indigitatus *Doctor ſexaginta millia florenorum*) iactaris non ſemel, dotare valeas ſexaginta millibus florenorum. Ehem, vnde tibi iſta meſſis? Doles mihi panem quotidianum eſſe ſudore multo partum: Et non doleam te auri argentique vi preſſum incedere. Sed ſunto tibi, thraſo, diuitiæ tuæ. & Deus tibi benedicat in omnia ſecula ſeculorum, *Amen.* Ad rem & diſcurſum noſtrum medice: *Quicunque materiam noxiam, acrem, mordacem, prauumq; ad partes ignobiles relegatam refrigerantium & repellentium vſum, ad partes nobiliores retroagit, is contra omnem methodum, παρὰ λόγον agendo, homicida eſt. Oberndorferus methodum decantando ſuam Eryſipelatis curandi, cauſſam prauam ad partes ignobiles reiectam refrigerantium vſu ad principes redigit:* Ergo *Oberndorferus & homicida, & aſinus.* Propoſitio omnibus peritis & doctis medicis axiomatica eſt, quia Hippocr. talis, docenti l. 6. part. 25. *ἐρυσιπέλατος ἔξωθεν μὲν ἔσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν.*

Diuitiæ Oberndorferianæ.

ἔσωθεν δ' ἔξω ἀγαθόν. *Eryſipelas foris intro conuerti, malum: intus vero foras exigere bonum.* En delire medice Hippocr. methodum tibi contrariam: Et contrariam l. 1. aphor. 21. Ἃ δεῖ ἄγειν ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ταύτῃ ἄγειν διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. Quæ autem loca, quæ viæ vtilius eo ferentia quam abintus foras & in cute? Contra agere quam ſtolidum & Hippocr. aduerſum? Obgannis ex Auic. in partibus nobilioribus Eryſipelati implicitis non licere repellere? Fatuus es medicaſter. Hippocr. de omni parte ſuum aphor. pronunciatum vult. Sit tamen in pedis extremo, vbi tuus intellectus eſt, Eryſipelas. Repellentibus & refrigerantibus vſus nonne repellis, aſine? Repellis bilem a termino a quo, Cute, ad terminum ad quem: Hic quis eſt? Nonne interiora? Hæc autem nobiliora externis. Ad ferulam medice & Hippocratem tuum. Conſecutio itaque tibi concedetur libere, Aquam calcis calidam eſſe, & ideo digerentem, diſſipantem, ideoque & refrigerantem. Methodice igitur aqua calcis, adhibetur eryſipelati quamcunque partem occupanti; quia bilem digerit, diſſipat, temperat, elicitque διαφορήσει, atque ita refrigerat κατὰ συμβεβηκός: quod hoc ratiocinio demonſtratur:

> *Quodcunque remedium Hippocr. legibus conuenienter in Eryſipelate adhibetur, hoc foras promouendo, illud κατὰ λόγον & methodice vſurpatur:*
>
> *Aqua calcis Hippoc. legibus conuenienter in Eryſipelate foras huius cauſſam proliciendo adminiſtratur:*

Ergo methodice. Sed & Pauli Æginetæ, Galeniq; intentioni vſu huius aquæ fit ſatis, refrigerationem explendo vtiliter, vt iure ratiocinari liceat: *Si refrigerandi indicationi in Eryſipelate ſtudent potius quam exinanitioni, methodo conſentanee faciunt: At aquam calcis applicantes Eryſipelatis refrigerandi ſcopo ſtudent potius quam exinanitioni: Ergo, &c.* Aſſumtum probatur effectu, & tuo atque Galeni teſtimonio: *Si enim* λεπτομερὲς *&* ἐμπύρευμα *ex calce ſortitur, euocandi virtutem habebit: At illud: Ergo & hoc.* Illius igitur virtute per accidens, refrigerabit & aquæ per ſe: quandoquidem omnia ad elemẽtares qualitates ſtulte exigere cum tuis medicis elementaribus cupis. Tantum de Eryſipelate aqua calcis curando. Iam ad Herpetem, ad quem minus idoneam eam putas his dementatus deliramentis. Herpetem definis *tumorem exulceratum a bile flaua prouenientem*, huiuſque comminiſceris 3. differentias, dirimendo in *exulceratum & non exulceratum.* Aſt, Logodædale definitionem oportet κατὰ παντὸς eſſe, ſi veram oportet eſſe & ſanam. At tua non eſt κατὰ παντός. Alium herpetem ipſe fabularis eſſe exulceratum; alium non item: Vitioſa igitur tua defini-

Deliramenta Oberndorferiana de aqua calcis herpeti inconuenientе.

definitio. Ad curationem quod attinet, habita prouisione totius, indicari topica refrigerantia & humectantia in simplici herpete: in pustuloso vero magis lenientia & minus humectantia. Exulcerato duo indicari præsidiorum genera: vnum ratione tumoris, refrigerantia: ratione vlceris magis exsiccantia. Hi sunt scopi stupidi archiatri principum Germaniæ, curandi herpetis tergemini. Aqua calcis non explet hos scopos omnes. Ergo. At principium te petere ex prioribus patet dilucide. Si enim aqua calcis refrigerat, si exsiccat, si lenit, si humectat, tam per se, quam per accidens, nobilissimo erit ea vsui. At ita affectam eam, demonstratum iam est: *Ergo.* Scopum refrigerationis nocentissimum esse, supra est probatũ, & Hippocraticæ methodo contrarium: humectationis vero erroneum. Herpes enim tumor definitus a Gal. *2. ad Glauc.* Sed tumor omnis a replente materia, quæ indicat sui euacuationem, vel resoluentibus, vel desiccantibus: Refrigerantia vero & humectantia neque resoluendo, neq; desiccando materiam tumefacientem tollunt: quin potius compingendæ materiæ accessionem & humectatione sua faciunt. Scopus igitur vt refrigerationis per se, ita & humectationis perniciosus & fallax. Ideo Oribas. *l. 7. synops* & Paulus *l. 4. cap. 20.* volunt in herpete astringentia, id est, frigida-sicca adhiberi, quia pustulæ illæ interdũ putrescunt & rumpuntur: ne igitur ad putredinem reducantur, siccis [illegible] tendum. Ad herpetem miliarem excellentius non inuenitur remedium aqua calcis: humiditatem putrescendo, exsorbendo exsiccat, discrasian partis contemperat & putredinem manantem cohibet. Paræus *l. 6. c. 14.* felicissimam similibus mediis, sed validioribus, herpetum curam deprædicat, certissimam sæpe in vngu. enulato cum mercurio opem sum expertus: pustulas enim tabefacit, & humorem in parte contentum absumit. Quanquam si nec sic quidem cedat, vlcus quin imo indies effundat se latius, eius margines & labra acri medicamento continges, vt aqua forti, oleo vitrioli, vel alio simili: Hoc enim præsidii genere sæpe ad sanitatem arrodentia vlcera perduxi, quæ omnino insanabilia videbantur. Atque hæc in mea medicamenta ficta & ementita sputa purulenta, fœtida, pestilentissima. His me cũ meis pessundatũ iactitas scurra? Sed sto longe firmius quã ante; staturus & deinceps aduersus tuã impudentiam, nequitiã, maledicendiq; libidinem, longe audentior. Flagitia mea in conspectum omnium prodiisse te proditore, te tubicine, o propudium, o flagitium, nequam nequissimus calumniaris. Medicamenta quæ hactenus tibi finxisti, mihique affinxisti, vocas flagitia mea: quo ore, nebulo? qua fronte, scurra? quo iure, diabole? In te retorsio iure omnium in me admissorum abs te cõuitiorum trifur-

cifer. Me omnium officiorum genere te iuuisse; me nunquam abs te læsum & prouocatum, mendacia sunt tua, & iam ante probatum contrarium: Nec his contento minaris plura, scil. quia incarnatus diabolus. Ast, qui minis terrificatur, aiunt Germani, eum dignum esse, qui crepitibus asininis interimatur. Senatus amplissimus Ratisbonæ si quæ plura habet recondita medicamenta mea, mirum quod istum thesaurum per te thesaurarium non iusserit promulgari, & notis tuis condecorari. Sed prudentior forsan est, quam vt surreptitiis receptulis & fraude nefaria fictis pictisque formulis medicinarum me de tota Ratisp. Rep. bene meritum, nulla remuneratione laboribus meis condigna vnquam accepta (mentiris enim me Ratisponæ diuitem esse factum, nec extra; sorte interim mea contentus sum, & Deo pro pane quotidiano sudore vultus mei acquisito, gratias ago) ad defensionem iustam lacessat. Te interim qui cõscientiam cauterisatam in sinu tuo gestas, & cor mendaciis, impudentia, superbia, auaritia, conuitiis, omnique flagitio compositum aduersus me de te semper, ante tuos calumniarum ructus & vomitus, optime sentientem, te vt seniorem veneratum, quod DEVM, tibique & mihi familiares testor omnes, nefando ausu iniquissime inuectum furiis infernalibus excarnificandum, torquendumq; trado.

Excussio 2. Partis, examinata remedia spagyrica, in elencho progymnasmatum chymiæ edita, complectentis.

In genere.

Hoc reuomit priora conuitia & mendacia, non satis esse ratus semel atq; iterum atrocissime conuitiatum fuisse, & mentitum, multiplicatione opus est, vt vesanam & diabolicam mentem aduersus bonos clarius proponat deridendam detestandamq; tum purgantium rationem. Ex obliquo me tibi vulnus infligere voluisse, & non directo percutere gladio, ogganis vesane? Et latronis atque nebulonis hoc esse? Quid, perfrictæ frontis nebulo? Aperto Marte tibi iui semper obuiam. In os tibi & literis & coram contradixi. Verum id esse, literæ ante initum certamen publicum ad te amica mente, & tum reconciliabili adhuc, si modo tua mania & peruersitas mentis concessisset datæ, absque te publicatæ, liquido attestantur. Nec fuit mihi tecum solummodo, sed & cum aliis miso chymicis lis. Itaque quando aduersariorum ictus dextre excipiuntur, menda-

mendacia & conuitia castigantur, conflictus arguitur manifestus, non obliquus vel indirectus, vt blateras blatero. Si tibi pax cordi, cur ad mandatum Ampliss. Senatus Ratispon. prohibitorium tuum os impudens atque maledicum non composuisti? Non erat habitũ conuiuium, nullum colloquium, in quo non tui ructus virulenti, biliosi de Rulandis non sine fastidio vomiturientium auditorum sonuere? Et hoc a mandato prohibitorio. Non sat tibi eructasse in aures conuiuantium auditorumque, sed euomuisti interim virus tuũ in chartas, quas præfixisti tractatui Germanico vndiquaque furto cõsarcinato de Morbo Vngarico: Quot probra, quot conuicia, o propudium in ista Præfatione iniuriosissima? Ad hæc digito compescam labella? Neutiquam propudiose: Crudelis, qui famam suam negligit, non iuri solum ciuili, sed & diuino. Christus acriter sibi & Deo aduersantes increpauit, progeniem viperinam Pharisæos denominãdo. Responsum tibi itidem vernacula lingua, quo tuum propudium etiam vulgo detegatur, & responsum indigitatum Propugnaculum Chymiatriæ. Hactenus tum ne gry quidem contra, nec potes in æternum contra hiscere. Apologia tua battologica id verum ostendit. Nihil enim respondes ad propugnaculum meum: Conuitia cumulas conuitiis, mendacia mendaciis; quemadmodum iam est euictum. Elenchum medicamentorum problematibus Chymiatr. appositũ sancte iuras, nec tibi nec aliis pharmacopœis vel visum vel auditum, ideoque nec veneni accusatum, aut conuitiis vexatum. Impudentiorem te Sol, dies, Luna, nullum illuxere alterum. Si tibi mea medicamenta incognita, cur ea tam rabioso rictu allatrasti? Hoccine boni viri? Nebulonis est, aio, & latronis bonorum & famæ. Si pacem amasses, & ius Collegii inuiolatum voluisses, tam scrutari pharmacopœum *(quem tute excipis)* meum (vt cauillaris cauillator) potuisses, quam reliquos: sed inuidia tua & odiũ lupinum aduersus me dementauit te, & in hæc flagitia præcipitauit. Publica sunt pharmacopolia, fateor; publicum & fuit Erndlinum. Si aliis pharmacopœis non sunt ista medicamenta mea concredita, sunt tamen alii facienda, & iussu magistratus amplissimi *(quemadmodum supra abunde est edoctum)* tradita recentioribus simplicibus instructo & diligentiori. Publica itaque, & ad publicum vsum mea medicamenta sunt concessa; quia a publico pharmacopœo ex arte confecta, & publice diuendita. Te mentiri, o pudor, apertissime, & calumniari atrocissime aliena medicamenta quam edita mihi affingendo, formulæ medicamentorum, quas *Recepta* vocant, passim ægris Ratisbonæ & in Bauaria descripta te falsi & flagitii coarguunt. *Diacydonium ex mechoacanna & diagrid. diacatholicon, hydra-*

gogon, extractum aloes specif. nepenthes, &c. me in frequenti vsu habuisse anno 1603. testis mihi esse potest Nobiliss. Dn. D. Petrus Magnus, Potentissimi & Inuictiss. Regis Vngar. Matthiæ medicus, qui Maiest. Reg. tum Commissarium Cæsareæ Maiestatis S. laudatissime agenti, lethaliter decumbenti, & omnem medicinam fastidienti, extractum phlegmagogum mecum exhibuit, non sine fructu. Testantur eiusdem recepta, durantibus comitiis, illum meis medicamentis elencho descriptis feliciter medicinam fecisse. *Diacydonium* insuper fratri Andreæ in vsu fuit prius quā Ratisponam veniret. Id autem mihi ex communicatione peritissimi Plateri, licet a me certis rationibus immutatum. Et hæc tibi & aliis pharmacopœis incognita? Si incognita, propudium, a conuitiis & maledictionibus abstinere te oportuisset. Abstinuisse iuras nec vsquam mea medicamenta allatrasse deiuras? Contrarium supra est demonstratum. Et mendacii & falsi te & Solfleischium coarguit censura ad Senatum Ratispon. & præfatio tractatus de *Morbo Vngar.* tum etiam apologia, tum iniuriosissima. Quandoquidem autem adeo innocentia triumphas, & pacis studio, cur in publicata medicamēta inueheris, & omni conatu, sed frustraneo anniteris, vt ea conuincas veneficii? En flagitiū tuum, scelus! Ebrietati denique me esse deditum totum concludis, & ebrietate inflammatā progymnasmata scripsisse. Scelester, quando me ebriosum vidisti, non ebriosus ipsemet? Temperantia mea omnibus bonis perspecta, & huius testimonium non solum Ratispona, sed & tota Bauaria tum Palatinatus Illustriss. prouinciæ dabunt, & dabunt lubenter, & verum testimonium. In anno semel atque iterum me excessisse temperantiæ terminos illiciente tempore non eo inficias: Et quis, etiam pietatis & temperantiæ studiosissimus hac ætate nostra non exorbitet tot obuiis illecebris? Non ideo ebrietati totus deditus, calumniator. Si tu totum diem helluando integras amphoras vini exhaurire vales vt vales, non inde inebriatus, non excusat ebrietatem, sed eandem arguit, & helluationem. Itaque, Oberndorfere calumniator, semel atque iterum largius bibere, & inebriari cōdonabilius est apud DEVM, quam adulterare, scortari, quam calumniari, mentiri, quam inuidere, & per mortes facere medicinam. Sunto tamen ista conuitia omnia, mendacia, calumniæ, quibus me immerentem & innocentem iniuriosissime lacessis, in te regesta omni iure. Tantum de genere conuitiorum specie maledicentissima rabiente calamo effutito. Iam ad Purgantium examen; risum tenete amici. Ehem, Rulandi medicamēta, quæ exigua dosi administrantur, sunt periculosa; quia magna cautio, industria singularis, exercitatio acris, iudicium limatum, examen perfectum

Negat Oberndorferus accusationem veneni meerū medicam. Et strenue tamen in apologia laborat, quo eadem damnet venenositatis. Itaq. iam ait, iam negat Calidum & frigidum ex vno ore efflat mendax Oberndorferus.

Pharmaca exigua dosi prabita, non sunt tuta Oberndorfero futili & nugaci.

ctum adhibendum. Sed, asine, elenchum ignoras τῷ periculosa homonymia ludens. Si enim tanta cautione medicamenta chymica (quæ tu exigua dosi fraudulenter describis) habent opus & isto diorismo accurate obseruato, adhibentur, tuta erunt & proficua. Noxia vero & periculosa si committantur quibuslibet, atque adeo in vsu malo, & imperito potius sint talia, quam sua natura; vt ignis & gladius in manu delirantis nō vacant periculo: alioqui sapienter cauteque tractata minus habent periculi, imo tuta & innoxia, potiusque salutaria exsistentia. Periculosa itaq; quando vsu imperito & imprudenter adhibentur: Sin autem adiacet eis vsus sapiens, & diorismi tui, absque omni detrimento erunt. Et quia habent anceps tam ad male quam ad bene momētum: Falleris iterum elencho accidentis, & κατά τι. Sed nec τὸ exigua dosis solam istam cautionem arguit, verum & medicamenta omnia hactenus vsu recepta. Quot diorismi ab omnibus medicis, Mesuæo præsertim, omnium exstant medicamentorum, quot cautelæ? quæ industria? vt stante tuo fundamento & hoc, *Ea periculosa esse medicamenta, quæ magna cautione habēt opus:* Ego virtute huius obratiociner vicissim; *Quæcunq; medicamenta prudentiori cautione, acriori iudicio, exercitatione longiori, & pluribus diorismis circumscribuntur, ea periculosiora sunt secus affectis: Putata Galenica & Arabica medicamenta hactenus in vsum quotidianum pertracta, cautione prudētiore, & pluribus diorismis circumsepta vsu parTur:* Ergo *periculosiora*. Responde acumen Ratisponense. Calumniari dedisce & disce vera Germanica fide. Ex symptomatum lethalium purgationibus vehementioribus minus caute administratis superuenientium farragine pungere videtur blatero chymiam; sed quia trepidanter & tecte, priusq; est responsum ad nugamenta calumniosa, ne cum apologo βατ]ολογεῖν videar, ad rigidum recta descendam examen Archiatri illius principum Germaniæ.

Medicus purgando prodesse volens potius quam obesse, est, vt medicamēto tali succurrat, quod detrahat humorem qualitate peccantem. Temperate vobis, o boni, a risu: Delirium Ratisponense purgat humorem qualitate peccantem, cacochymiam scil. eamque non omnem, sed adeo corruptam, vt ad naturalem statum redire nequeat. Qualitas igitur vitiosa humorū indicat purgationem. Qualitas? omnis euacuatio quantitatis excedentis est: Ergo quantitatis excedentis est, non qualitatis. Propositio axiomatica est, nullius probationis indiga. Non enim nisi superfluum & quantitate peccans, euacuandum indicatur. Qualitas vitiosa, fatua, non euacuationem sui per se indicat, sed correctionem, alterationemque. Deliras solum humorem inemendabilem euacuandum esse. Si

Purgatio Oberndorferi felix consistit in humoris qualitate peccantis detractione.

hoc; cur Hippocr.*l.1.aphor.p.22.* πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ: hoc eſt, *Concocta medicamento purgare ac mouere oportet, non cruda neque ineunte morbo, niſi materia turgeat: plurimum vero non turget.* Quam vitioſo cerebrum tuum ſit obſeſſum humore, vt nugas in publicum iſtas effutire non erubeſcas, atque docere, concoctos humores in corpore relinquẽdos corruptos, & ad naturalem ſtatum reduci inhabiles duntaxat purgatione euacuandos eſſe, monſtroſa tua digeſtio humorum, qua aliquot plauſtra ægrotorum in cœmiteriũ miſiſti, coarguit. Si enim inemendabiles ſunt & cacochymiæ deſperatæ, quid opus præparatione tam laborioſa? quid concoctione eorum adeo tædioſa? Idcirco,

Oberndorfero, non niſi deſperata corruptionis purganda, per mentẽ licet centenos digeſtionis ſuis excarnificet, & post demum purget.

Si non niſi coctos & preparatos humores euacuare licet, ſtultitia eſt pepaſmi expertes ſolos purgari oportere, & in corpore relinquẽdos correctos & coctos: Antecedens Hippocr. eſt, & omnium ſanioris iudicii medicorum: Ergo *nouatoris ſtulti Oberndorferi conſequens falſum erroneum*: ideo ad ferulam puerorum cum veſpertilione ſuorum.

Delirium probas tuum alio phantaſmate: *Vbi non eſt prauitas ſuccorum, ibi aliena & nociua purgatio: Apud bene valentes non eſt prauitas humorum:* Ergo *aliena purgatio & nociua:* Hipp.l.2.p.36. Connexio neganda, quia ex diſſentaneis. Propoſitioni tuæ e diametro aduerſatur Hipp. *l.1.aphor.p.22.* concocta purganda præcipiens. At *quæ concocta ſunt, ea carent prauitate, ideoq; facilior purgatio.* Aſſumtum itidem prauũ eſt, & tale oſtendit cottidiana experientia, qua nulli, non etiam bene valenti, prauos humores ineſſe patet. Purgatis quin etiam citra noxam verno & autumnali tempore bene valentes; vt eapropter turpiter hallucineris, bene valentib. purgationem alienam eſſe & nociuam concludendo. Proſyllogiſmus ex Hipp.*l.2.p.36.* deſumtus, te tantum abeſt vt iuuet, vt te potius obtundat: *Ii enim qui ſano ſunt corpore, dum pharmacia purgantur, celeriter extolluntur, atq; hi qui prauo vtuntur nutricatu.* At *hi ſunt cacochymici & cachectici tibi purgandi* (clara enim eſt tua enunciatio: *vbi eſt prauitas humorum, ibi indicatur purgatio neceſſaria.* At *in cacochymicis eſt prauitas humorum: Purgandi* ergo *tibi.* Sed Hippocr. noſter, quem crepas, & legiſti tamen nunquam, negat, vel periculoſam potius docet purgationem cacochymicorum. Atque hæc tua deliria, quibus impudentiſſimus thraſo mihi obſtrepere audes? O propudium! Interim omnium euacuationum doctrinam, *quibus, quomodo, quando, quouſque*, fieri eos oporteat, & quæ inde ex vero doctoq; vſu commoda, quæque ex contrario noxæ accedant, negat ſe explicare velle. Hoc enim nimis longum & operoſum foret. Crediderim tibi, ſi ex

cerebro

cerebro tuo bliteo docte de iis differere deberes, quod laboriosum foret & tibi impossibile. Deliras enim & repuerascis: ideo obliuiosus. Sed licuisset furto chartas complere calumniator. Hactenus enim nihil præter conuitia & mendacia, tuum, omnia quæ bona sunt transcripta, nihilominus tamen infelici euentu. De substantiæ similitudine ex Hippocr. & Gal. multa blateras, & allegationibus imples pagellas, vt doctus rudibus videaris, qui nihil nisi multiloquium faciunt magni. Quid autem similitudo substantiæ, qua purgant vel trahunt hunc vel illum humorem purgantia, delirans senex aduersum me? Nugari te etiam Hippocr. similitudine stante & vera ex Valeriola & Erasto; illo *in constit. artis Gal. comment.* hoc vero de purgantibus contra Paracelsum abunde intelliges. Sed depuduisti dudum, nec curas, quid docti iudicent, modo tu in auram vanitates fundas, conuitia eructes, fumos vendas. Ego hæc duntaxat effata excutiam quæ sequuntur, & obiter, quia calamo festinanti occurrerint scil. Illa enim summam integrarum paginarum continent. *Hac autem similitudo non temperamentorum est, sed substantiarum. Illa quippe attractionis caussa minime statui potest, quandoquidem nullum medicamentum esset trahendæ pituitæ idoneum, cum illa frigida: vniuersum vero purgantium genus calidum habeatur.* Ergo *sola substantia similitudo caussa est cur medicam. hunc vel illum humorem alliciat.* Bellus, ædepol, disputator? attractionis similitudo substantiæ debetur purgantis, non temperamento; quia sic pituita esset non purgabilis: Quod phantasma stultum hoc proponitur syllogismo: *In quibus est dissimilitudo temperamentorum, in iis nulla sperari potest pharmacia seu purgatio. At in pituita trahenda & medicam. purgantibus est dissimilitudo temperamentorum:* Ergo *nulla pituita expurgatio.* Probatio cõsecutionis est, Oberndorferiana scil. pituita est frigida, cõtra omnia purgantia calida. Ohe acumen! videris mihi temulentus aut apricatione in horto tuo excellentissimo perdidisse spiritus animales omnes; vnde fors horum penuria tibi istud delirium. Propositio quanta est, tanta futilitate scatet. Quibus est similitudo substantiarum, iisdem est etiam similitudo temperamentorum. Hoc enim ab illo; vt, si pharmaca cum humoribus purgandis consentiunt substantia, consentient vtique & crasi; quia hæc ex ἑνώσει τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων. Crasis autem omnis formæ specificæ conformis, non alia, si non ea ipsa. Pituitam frigidam temperamento dissentire a medicamentis omnibus tibi calidis. Principium ponis fallax & mendax: connexio ergo inde non nisi similis. Quis pituitam frigidam censet absolute? Si non absolute talis, vt non est, quodammodo erit calida; si hoc, habebit purgans medicamentum. Et sic cadit tuũ phantasma,

tuaque phrenesis manifestior fit. Posito vero tuo fundamento ponitur hoc ratiocinium: *Si dissimilitudo temperamentorum negat purgationem, similitudo eorundem eandem affirmabit: Contrariorum contraria est consequentia.* At *humores & purgantia omnia medicamenta similitudine craseon consentiunt:* Ergo *purgatio efficietur.* Assumtum probatur tuo prosyllogismo affirmante, *Omnia medicamenta purgantia esse calida* : At *omnes humores sunt calidi* : Ergo. Si negaueris *omnes humores calidos*, dabo tantillum: largieris tute & hoc, *bilem flauam, & atram calidam* esse. Ergo similitudine temperamentorum purgabuntur illi humores, vt contrarie affecti simili substantiæ. Sed quæ similitudo craseon inter humores calidos & medicamenta calida, subtilis disputator? Rheubarbarum debetur bili flauæ & atræ: Qualis vtriusque crasis? Calidam dices & necesse est te hoc dicere. Cõsentanea itaque. Eadem igitur. Si eadem, cur non iidem vtriusque effectus? Bilis auctor febris putredine contaminata; quare non & assumtum rheubarbarum. De ceteris par iudicium. Similitudo substantiæ beneficio, cuius purgatio fiat, probari nunquam potest: abs te non in æternum. Actio & passio non nisi inter cõtraria. Inter trahens & trahendum actio & passio est: Ergo *vtrumque inuicem sibi contrarium oportet esse.* Si actio inter similia substãtia vel qualitatib⁹, simile agit in simile; quod est absonum admodũ. Nam sic idẽ ageret in seipsum: Nihil .n. similius quam idẽ sibiipsi. Atque ita pharmaca & humores ὁμοούσιοι erunt & idem. Non hoc; quia alia amborum definitio: Quia definitione discrepant, reipsa discrepant. neutiquam similitudine substantiæ consentanea. Futilia itaque effutis. Cum itaque similitudine substantiæ medicamenta purgantia id faciunt, ais, tunc trahunt vel sanguinem, vel alios humores: si sanguinem, ea venefica sunt. At ego; sunt quæ sanguinem cient. Venefica ea tibi: Ergo *& sanguis veneficus necessario.* Ratio consecutionis est; quia conueniũt substantia. Mirum itaque nos non nutriri venenatis ob substantiæ similitudinem. Quæ enim talia sunt, vtique nutrire putantur. Quare dignus tute, qui nutriaris colocynthide, quæ scil. nata est sanguinem amoliri & aloe tibi benignissima medicina. *Porro* medicamenta similitudine substantiæ purgantia dirimis vlterius in benigna & maligna. Illa habent permistas portiones alimentales, nullas veneficas, & non purgantia in humorem familiarem mutantur & alimentum, quemadmodum Rheubarbarum in sanguinem biliosum. Benigna autem dici, quia succi benigni aliquid continent vel citra noxam blande purgent. Fatua hæc dictante deliro sene, si similitudine substantiæ conueniunt medicamẽta cum humoribus, tam benigna quam maligna his καθ' ὅλον similia erunt, nihil maligni

ligni continentia; hoc enim similitudo substantiæ omnino exigit, nihilque inter benigna & venefica intererit. Verum benignum a venefico toto genere discrepat; adeo vt hoc affirmato negetur illud, & vice versa: Qui igitur substantiæ similitudine consentire possunt? Benigna nullas veneficas qualitates habere falsum est. Hoc enim negato affirmetur benignitas necesse est, quam tu portione alimentali definis. Quicquid autem ex succo benigno & alimentali constat, illud nutritium sit necesse est. Pharmaca benigna tibi ex tali conflata sunt succo alibili scilicet. Ergo *pharmaca sunt nutritia & alimenta.* Quod autem alimentum est, differentissimum est a pharmaco. Et tute hoc ab illo dirimis verbis, reipsa tamen copulare, consentanea facere, iam est probatum. Deliras rancide Chremes. In nutritionem benigna facessere mēdacium est: sic etiam alimenta forent: At non sunt: Ergo. Asperam interim implicas contradictionem, dum Rheubarbarum in sanguinem biliosum abire hic asseris; & paulo post inuersa pagina negas his verbis: *Mediocria quæ vt alendo corpori minime idonea sunt, vt agaricus, rheubarbarum, sena, aloe: ita ad humorem vacuandum e corpore superuacaneum vnice idonea existunt.* Bellus adeo es, Oberndorfere, examinator, scil. *Benigna* a. tibi dicuntur ideo, quia absque periculo, & citra vehementem agitationem, atque noxam blande purgant. Atque sic & reliqua tibi venefica benigna erunt. Citra noxam enim rite administrata, suum exsequentur munus. Tibi extractum cochiarum frequentissimum: id autem habet *pulpam colocynthidis*: veneficum igitur & cum noxa ac periculo purgans. Quare tu veneficorum & venenatorum auctor & vsurpator. Nec mirum tuorum medicamentorum vsu venenato tot periisse ægros. Cassiam, mannam, citra noxam purgare & periculum negat cum experientia quotidiana Heurnius, non semel vtrumque in ὑπερκάθαρσιν coniecisse patientes attestans: succi vero bonitatem vtrius chymia & separatio per destillationē falsi redarguit, vt cassia, ita & manna acerrimum & erodentem spiritum eliciendo. Cui itaque insunt spiritus & aquæ corrodentes acerrimæ vitriolatæ, illud succi bonitate & indemnitate commendari nequit: Mannæ & cassiæ huiuscemodi spiritus seu aquas inesse docet αὐτοψία: Ergo *vtrumque remedium non sine noxa & agitatione vehementi purgat: Quicquid item non sine cautela prudenti est exhibendum, illud periculi & noxa omnis expers esse nequit. Manna & cassia non sine prouida cautela exhibentur*: Ergo. Minorem Mesuæus tibi probat quo te ablegatum volo. Monstrum fatue: benigna non purgantia in humorem familiarem & alimentum mutari, vt Rheubarbarum in sanguinem biliosum. Negasti, hircose senex, rheubarbarum in sanguinem fa-

Contradictio fatua Oberndorferi: Rheubarbarū in corpus alendum cōmutatur: Rheubarbarum in corpus alēdum non commutatur.

Oberndorferus est veneficus & vsurpator venenatorum medicamentorum.

cessere: iam idipsum affirmas. Nugaris benigna medicam. in humorem familiarem & alimentum commutari. Aliud enim est humor familiaris & expurgandus, & aliud alimentum: Hoc transit in nutritionẽ, ille nunquam, quia excrementitius: commutari in vtrumque nequeunt, quia ad vtrumque non perinde affecta. Similitudine totius substantiæ purgationem fieri hactenus impudenti ore deblaterasti: Similitudinẽ autem substantiæ humores expurgandos attingere, vt quæ sit substantia purgantium, eadem & sit humorum expurgandorum. Similitudo itaque vtriusque affirmatur substantiæ, non alimenti. Humores expurgandi insuper tibi sunt vitiosi, & praua qualitate conspurcati, & ita comparati, vt inemendabiles permaneant in nutritionem corporis nunquam abituri; ideoque purgandi. Exhibeatur benignum medicamentum, quod & tibi similitudine substantiæ operatur. Frustretur sua actione, commutetur in humorem necesse est cum quo gerit similitudinem. Rheubarbarum itaque in bilem mutabitur. At bilis excremẽtitia nunquam fuit alibilis; Ergo nec rheubarbarum erit, nec benignorum medicamentorum vllum. Quin imo, si alibilia benigna tam erunt purgantia quam non purgantia: vtrobique enim affirmanda ἡ ὁμοιότης. Cur enim hæc cedat purgaturis pharmacis & perennet non purgantibus, fatue? At purgantia non alunt, nec commutantur in humorem similem purgantem: Nec itaque commutabuntur non purgatura, habilitate istra stultis ficta, & per somnium excogitata. Nihil iam de modo cõmutationis in humorem familiarem; nihil de transitionis in alibilem succum, tũ inprimis, quando virtus benignorum medicamentorum in aliud subiectum reliquo corpore abiecto, est translata, impossibilitate. De his & aliis abunde disputatũ in problem. alchemiæ, quorum tantum abest Oberndorferũ minimam suscepisse quæstionem refutandam, vt sicco pede omnia præterierit, satis sibi factum putãs, calumniator, si calumniari audacter & mentiri impudenter perrexerit, & aniles nugas cassa ne quidem nuce dignas venditarit.

Pergit delirus senex: *Maligna ea sunt, quæ nõ attrahunt ratione portionis alimentalis, sed ea amissa vi quadam, quæ dissimilis est corpori nostro, imo prorsus infesta, corpus mouent in exigua dosi, vt scammonium, colocynthis, &c.* supra docuisti, asine; *pharmaca omnia tam benigna quam maligna purgare similitudine substantiæ.* Oportet itaque mendacem memorem esse conuitiator? Si verum hoc tuum principium, malignum & benignum tibi erit ταὐτόν. Vtrumque enim purgat eodem modo tam benignũ quam malignum. Portio alimentalis amissa in malignis pharmacis: quorsum fugata coctor? vbi similitudo substantiæ? *Si vt dissimilis & infesta corpori nostro purgant*

purgant pharmaca maligna: non ſane ſimilitudine ſubſtantiæ: At *illud, te iam totidem verbis fabulante:* Ergo *non hoc.* At & hoc aſtruxiſti ſeſquipedalibus verbis, & verbis Hippocr. & Gal. tuorum antiſtitum. Vertumno itaque mutabilior ſcurra. Iterum; *Et hæc ſi non purgant, corrumpuntur in corpore, & generatur materia venefica.)* Mirũ, ſimilia noſtro corpori venefica eſſe: mirabilius, ſi non ſtultius, maligna medicamenta nõ purgantia corrumpi in corpore, & generari materiam veneficam. Fatue, *Quod ante eſt veneficum, generari* [illegible] *quit veneficum:* At *malignorum pharmacorum ſubſtantia eſt venefica.* Ergo *non regenerationis indiga.* Corrumpantur eadem in corpore, nonne ſpes corruptionis beneficio benignitatis? Sed cum fatuis non vaçat fatuari; Ineptias cum ineptis. Nugamenta tamen notanda obiter Lectori proponam. *Purgant maligna pharmaca intenſiue & extenſiue. Intenſiue, cum actio eorum eſt nimis intenſa aut violenta: & tunc fiunt tormina, conuulſiones: vt veratrum album & eſula.* (Si intenſiue operari eſt actionis violentæ, erit & eiuſdem extenſiue: Itaq; operationis vtriuſque ratio par. Vbi autem eadem ratio, ibi nulla diſcriminatio. At illud: Ergo non hoc. Aſinus tu ergo. Tormina & conuulſiones conſequuntur & alias purgationes, vt plurimum folia ſenæ, caſſiam, mannam, nec extenſiue, nec intenſiue purgantia. Non ergo certum τεκμήριον malignorum pharmacorum, extenſiue vel intenſiue purgantium.) *Extenſiue, cum immodica ſuccorum quantitas allicitur in ſuperpurgatione: vnde etiam ſanguis euacuatur, & homo ſæpe perit.* (At huiuſmodi ὑπερκάθαρσιν, quam tu nouator vocas extenſiuam purgationem, ſequitur non tam conuulſio, quam tormina. Hinc Hippocr. *l. 5. aphor. 4.* ὅτι ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν. *(Conuulſio, quæ immodicam ſequitur purgationem, aut ſingultus malum.) Nota vel a mediocri medicamento, vel forti. Mediocri, vt rheubarb. agaric. quæ attrahunt a proximis, nec impedimenta remouere poſſunt.* (Medicamenta nuper cuncta ea definiuit venefica, quæ intenſiue aut extenſiue operantur, & periculi euentum interitumq; ſortiuntur, eademque talia eſſe, quę neutiquam in commutationem alimoniæ corporis commutari queunt. Iam agaricum & rheubarbarum dictator veneficis accenſet, vtrunque facit veneficum, & tamen facit mediocre. Quid? tam audacter impudicus vt dicere auſit: Hæc venefica non ſunt. Nonne tibi venefica, quæ intenſiue vel extenſiue purgant, & hominem in ὑπερκάθαρσιν præcipitare queunt, imo quandoque mortem ipſam. At huiuſcemodi eſſe dicis, agaricum & rheubarbarum. Venefica ergo ambo: Aut tu mentiris. Mentitur autem omnis, qui ſibi contradicit: Tute tibi toties contradicis: Mendax ergo.) *tamen correctione indigent propter os ventriculi, quod ſincera purgantia*

Ecce ſtoliditatem vanã Oberndorferi.

ferre nequit, teste Gal. 3. de simplic. medicam. facult. Omnis correctio arguit corrigendæ rei vitium naturæ aduersum. *Quod tale & naturæ inimicum nō benignum esse potest. Eiusmodi est agaricus, est rheubarbarum.* Ergo *neutrum benignum.* Sincera purgantia os ventriculi ferre nō posse credibile & exploratum est. Sincera purgantia sunt agarinus & rheubarb. Ergo non benigna. Sincerum purgans simpliciter tale & purgans tibi. Hoc autem malignum tibi & veneficum) *Et id medicamentum hostili qualitate exagitat corpus.* (Quod similitudine substantiæ, fatue, purgat, id hostili qualitate non potest exagitare corpus. At veneficum medicam. tibi operatur purgando, similitudine substantiæ: Ergo non hostili qualitate. Implicas igitur iterum contradictionem: Itaque mentiris.) *Expultrix vero sopita a medicamenti mordacitate & malignitate excitatur, & obstructio ab humore crasso tollitur amaritudine & calore medicamenti abstergente & attenuante.* (Superius proclamabat conuitiator, similitudine substantiæ fieri purgationem: iam adiungit similitudini socias virtutes, amaritudinem & calorem medicum: tum mordacitatem & malignitatē, quibus omnibus tollantur impedimenta purgationem tardantia: obstructio scil. & expultrix exuscitatur sopita. At his affirmatis non affirmari potest sola substantiæ similitudo, quod tu delirus dictator effutiuisti quidem, sed non probasti: τὸ *solum,* namque omnem excludit societatem: Societas vero tua amarit. obstersionis, &c. tibi obiicit hoc ratiocinium: *Quicquid huiusmodi est, vt omne impedimentū obstructionis amoliatur inoffensum cursum viis factis meabilibus, & materia expurganda preparata, mobiliq. facta, purganti sternendo, tantum abest vt malignum & veneficum haberi possit, & digestiua alia tibi solemnia, & aliis tui similibus viarum & humorum preparationi dicata, decernantur, vt benignum & acceptissimum, & omni alia preparatione valedicta præsentaneum sit censendum. Huiusmodi sunt tibi maligna, venefica quæ impedimentum tollunt, quod purgationem tardare potest, obstructionem ab humore crasso natam, vt calore, ita & amaritudine detergendo & attenuando, ac sopitam expultricem exuscitando.* Ergo *neutiquam veneficum, nec alia preparatione viarum & humorum opus.*) *At hæc medicamenta valentia sunt, quæ fiunt venefica duplici modo; dum aut non recte castigantur vel corriguntur, vel in maiori dosi exhibentur.* (Venefica supra definiueras medicamēta, quæ hostili vi attrahunt humores: iam fiunt tibi venefica duplici modo, aut non correcta, aut nimia dosi exhibita. At si sunt ante venefica, vt sunt tibi, nō possunt fieri demum venefica. Quid correctio? si negatio castigationis facit venefica medicamenta, affirmatio eiusdem faciet benefica. Si enim negatio est caussa negationis, etiam affirmatio erit caussa affirmationis.

Oberndorfero dementi violēta medicamenta deobstruunt, & digestiuorum vicem explent.

Venefica medicam. Oberndorfero quæ?

Excedens

Excedens dosis benignissimum medicamentum reddit veneficii suspectum: vt quoduis medicamentum tam benignum, quam validius quantitate excedens sit deleterium habendum, & medicamentum omne πως venenatum.)

Oberndorfero venefica medicamenta correcta, hic sunt benigna, infra ea plane damnat noxa, periculi etiam castigata: adeo constans vir est Oberndorferus.

Υπερκάθαρσιν determinas sanguinis euacuatione iam familiari succo excreto, superstitum succorum attractione, cessante attractrice facultate. Mox, *superpurgationem accidere propter attractionem pharmaci.* Si hoc, non illud. At prius affirmas hisce verbis: *Extensiue, cum immodica succorum quantitas allicitur in superpurgatione; vnde postremo etiam sanguis euacuatur, & homo perit.* Ergo non posterior. Sed tibi solemnis cōtradictio, quæ est mendacium: quod sequitur ἀνακεφαλαίωσις, qua paginam integram comples, quasi Lector tua anitergia apologetica meminisse nequeat, nisi repetitione nugaci effutita.

Tergemina medicamentorum classe ex Heurnio descripta, & apologiæ battologicę appicta alienis hactenus se plumis ornare solitus, quartam extorquet, in quam collocat chymica ista, *antimonium præcipitatum sublimatum.* perniciosissima scil. quia scil. minima dosi, vt ex superioribus liquet, exhibita sic fatigant hominem, & vires deiiciunt, vt in magno discrimine vitæ hæreant omnes, qui eis vtuntur. Canis rabiens reuertitur ad vomitum. *Si antimonium præcipitatum, &c. te bacchantissimo Aristarcho, ad quartam classem referenda ob minimam dosin nocentissimam, etiam & longe potius colocynthis, peplium Hippocr. helleborus, lathyris tibi cottidiana eo abiicienda.* At *prius*: Ergo *& longe potius posterius*: quia iam a bs te probatum, maligna ista & venefica medicamenta, colocynth. hellebborum, minima dosi ὑπερκάθαρσιν caussare, ideoq; admodum nocere. De antimonio præcipitato & mercurio partim calumniose mentiris, quemadmodum supra est euictum, partim hallucinaris elencho accidentis, nō caussæ, & παρὰ τ. Mentzelium tuum quære: testaris enim viros peritos, de antimonio per annos praxis, quam exercuit longe felicius & laudabilius te, annos 40. cū plurimorum salute, vtrum antimonium præparatum recte & rite exhibitum adeo nocens sit, quemadmodum tibi stulte & irrefutabiliter persuades. Respondebit, certus scio, & respondebunt cum ipso omnes viri boni & docti, antimonium & mercurium recte elaborata omnibus aliis medicamentis tergeminæ classi accensitis, dexteritate vtentium prudentum accedente, bonitate, securitate, benignitate longissime antecellere. Sunt summi Imperatores & principes, qui & mercurialibus & antimonialibus medicamentis tutius, clementius, felicius vtuntur, quam tua deprædicata manna, cassia, quibus Ratisponæ & fœtum exegisti & matri,

Oberndorferus quartā classem purgantium antimonio, mercurio desiguat, indignis scil. quā in reliquorū class. numerentur. Micellum antimoniū, mercurius, sic vos exulatis præscribente Oberndorfero?

An antimonii vsus perniciosus?

tum pleuritico animam. Mihi fidem derogas? Accede artifices alios, & veritas ruborem, si quem habes, excutiet & os tuum maledicum contundet. Interim, quia de istis chymiæ magisteriis blateras, vt cœcus de coloribus, imperitiam puerilē in arte chymica, & ignorantiam huius tuam prodis omnibus intelligentioribus. At expungendam quartam classem purgantium Oberndorferi vesania effictam oppono tibi calumniator: *Posita ea classe medicamentorum, quorum vsu etiam perito & correctorū homines non modo in hypercatharsin precipites ruunt, sed & lethalia patiuntur symptomata, vt conuulsionem, singultum, &c. stultum est, aliam & nouam clementioribus caute & arte adhibitis adaptare. At illud tam abs te, praeceptoribus aliis Heurnio, Fernelio, &c. est adstructum;* Ergo, &c. Veritas propositionis patet ex his anitergiis, & classe tertia his verbis depicta graphice: *Malignorum in quibus vis inest & substantia venenata, in quorum numero habētur, colocynthis, scammoniū, helleborus, tithymalli, elateriū, semen lathyridis & similia. Hac propter contrarias caussas validissime turbant, & non sine labore & periculo purgant, nonnunquam etiam tormina, vertiginem & animi deliquia creant. Ab his fortibus & vehementibus perit homo.* Si itaque sunt pharmaca, quorū vsu etiam perito perit homo, quid opus nouam affingere antimonio & mercurio classem longe illis tutioribus & benignioribus. Si vir bonus haberi omnibus & veritatis studiosus niteris, proba non verbis vacuis, sed viro docto dignis, antimonio, mercurio rite præparato, dextre & arte adhibitis vllum periisse vel in vllum graue symptoma incidisse. In æternum tu, tuæq; farinæ homines hoc probabunt nunquam. Mendacium itaq; & calumnia tua. Interim & teipso teste, & quotidiana experientia, proh dolor, contestante nimis verum est, scammoniatis, helleborisinis, colocynthide plurimos non solum in grauissima incidisse symptomata, sed & misere periisse. Quam periculosus & lethalis Hippocrati fuit vsus hellebori, peplii? Aphorismi & coacæ id attestantur. Quoties singultus, ὑπερκαθάρσεως & cōuulsionis meminit ab vsu hellebori etiam correcti (absit enim, incorrecto Hippocr. fuisse vsū) & rite adhibiti? At hæc Hippocrat. hæc Galenica. Neutri enim Oberndorferiana benigna illa, alibilia, manna, cassia, fuere perspecta? Illa vero venefica, maligna & cotidiana interim. Stercora itaque iure ea voco, quanquam non in caula educatus hircosus: Impura & non probe correcta exhibebantur: impurum autem quid nisi stercus? quod tibi deuorandum quotidie concedo & offero, quia tibi pharmaca alibilem succum & naturæ familiarem continent. Dignus scil. qui quotidie victites pharmacis rustice Ratisponensis. Instructam tenetis non aliis vosmet officinam

Cur medicamenta Oberndorferiana stercora vocat Rulandus.

quam

quam pyxidibus colocynthide venenata, elaterio pestilenti, veratro excarnificante, scammonio acutissimo fa[illegible]atis & compositis ex iis nocentissimis. Hinc tot fastidia, tot nauseæ, tot vomitus ad conspectum solum tuorum medicamentorum, tot mortes ad eorundem sumptionem Expertis & longo vsu comprobatis, obganis, medicamentis vtendum dextre curaturis. Sed quid longo vsu comprobatius, quam helleborus Hippocr. peplium, &c. At ista tibi venefica. Manna, cassia, syr. rof. solut. syr. Fernel. & magistralis noua sunt & recens nata. Ideo non mirum nouo & imperito vsu multos in cœmiterium purgari. Quanquam magna dosis tibi tutior parua, & tibi illa, quia magnus es, vsitatissima. At quanto maiori plus virium quanto minore. Quantum item excedens oneri est naturæ; secus minus & paruum. Idcirco tu supra medicamenta quantitatem excedentia debitam quantitatem venena esse, siue lenientia iam sint, siue mediocria, siue maligna. Sua cuique dosis. Sed fieri potest vt maxima lenientis dosis plus noxæ inferat & damni, quam mille exiguæ chymicorum definitæ doses. Illic enim impurum cum puro, veneficum cum benigno; hic vero solum purum; ideo dosis minor quam solum impurum adauget, non tutius tamen reddens.

Helleborus Hip. peplium eiusdem longissimo vsu receptum, & comprobatum. Curiguntur, noua comminiscitur inexperta Oberndorferus, antiquorū antiquis nō acquiescens nouator.

A generalium purgationis exspuitione, spurcificus ad specialia, & medicamenta elencho problematum alchemiæ descripta despuenda accurrit superba stultitia. Omnia simplicia descripta ex Dioscoride, Plin. & aliis multis vt paginarum fiat multiplicatio & tractatulo malitiosissimo accedat nonnihil gratiæ, multis refert, affirmata & vsurpata mea non nisi mendaciis & conuitiis, paucis, quæ essent alicuius momenti, exceptis, ignominiosissime conspurcans.

Examen hydragogi Rul.

Dum enim accipit radicem cucumeris asinini.)

Hoc allatras conuitiator? asininus cucumer, quid me asinum appellas, beane? Cumani & rudentes officinarum præsides tibi? At ab illis exorta nomenclatura hæc? Præsides, vt tu Ratisbonensibus & Neoburgicis pharmacopoliis: asinus ergo tute tua censura. *Radices succo præfert.)* Quis præfert? Mentiris: succus tam ex radice, quam fructibus. Si itaque exstractum dextre parandum & efficax, tam ex radicibus quam fructibus petendus succus. De radicum succo, Dioscor. l. 4. c. 154. Radic. succus sesquioboli pondere, & item cortex acetabuli quarta parte bilem pituitamque deiiciunt, præsertim in hydropicis, &c. *Huius radices si colligendæ.)* Mesuæus succum excipit exeunte vere, radicem colligit fine veris: Hoc sugillas rabiens herbarie. Discrepant

in collectione radicum Dioscor. Mesue & Plin. quod notis apposui meis. In cassum itaque rabis conuit[illegible]or. Mesue colligendas radices præcipit in fine veris. Carpis hoc? Tēpore autumni ita luxuriat fructus vt quicquid vtilis humoris radicibus inerat, absumatur tum gignendis tum alendis fructibus. Ineptum itaq; radicum collectioni tempus. Cum laruis laruate medice luctaris: Mesue ideo quia radix in fine veris præstans eodem tempore suadet colligendam non autumno quo fructus cucumer edit. *Hoc licet aquam, quæ in abdomen effluxit, potenter eliciat, tamen magna cautione semper adhibendum.)* Blateras ventose: non agitur iam de dosi, nō de viribus elaterii, num id aquositates hydropicorum eliciat necne: innoxie, vel minus? Nihil enim horū aduersus me. Heurn. l. 6. aphor. part. 14. Curandi itaque viam hic aperit medēdi præceptor ab imitatione naturæ ductam. Sed notandum id fieri non posse, vt inualida medicina trahatur in intestina humor ille qui natat infra peritonæum & intestina. Qui enim succo ireos vel diaturbith aut bryoniæ vel soldanellæ existimant se efficere posse, falluntur. Hæc enim venis cōceptam aquam facili nisu effundūt, non abdomine natantem. Quare elaterio opus est: eius grana aliquot remiscere cū pilul. aloephangin. vel euphortiū remixtū cū cassia &c. Referētē Pareda syrupus ex radicū cucū. agrestis decocto est efficacissimus & tutissimus, quo Iacobus de Leon Compluti confirmatū hydropicum curauit. Hæc demonstrant effectū cucumeris & vsū tutum. Tutum itaque & veneni expers medicamentum. *Id si dandum, exhibeatur in spica correctū, cinnam. tragacantho. Spec. diarrhod. Et si a iecore vitium, addenda species trium santalorum ne empirico similis &c.)* Species trium santalorū? Hepaticæ sunt hæ? At mihi nō sunt hic loci hepaticæ: Sunto tales. Negatur hic indicatio corroborat. hepatis; itaque ipsum indicatum. Purgādum id quod super fluū serositatis natantis non in hepate sed iuxta. Vehiculum desideras? Id non in speciebus trium santalorum. Castigationē succi desideras? Hæc non ex speciebus trium santalorum nec diarrhod. Sed spica, tragacantho, & bdellio tibi &c. Costæus violentiam elaterii corrigit succo cydoniorum, inde & vētriculū corroborari putat. Nihil huius remedii Dioscor. & alii. Empirici ob id isti, asine? Si vētriculo prospiciendum & violentia ita castigabilis: species trium santalorum valeant. Fernelius: radix pulu. a granis XV. ad grana XXX decocto a semidrachma ad drachmam vnam datur. Aetius in corporibus tenellis rad. cucum. agrestis reponit loco elaterii. Dioscor. sine vlla tali correctione stolida iubet exhibere succū cucum. hoc pacto, Lcitato: Optima suspiriosis purgatio est. Quod si in animo sit deiectionē moliri, adiecto sal is duplo & stibii quod colorare sufficiat, ex aqua, erui magni-

Ex Heurnio omne hoc, vt multa alia exscripsit Oberndorf. cū vespertilione caluo.

Elaterium Dioscorides cum antimonio præbet, bene Obendorfere.

magnitudine catapotia dato.&c. Hic fuit modus beane Oberndorf. Dioscor. quem castigato. Huiusmodi autem & tua correctione non habeo opus. Correctionem enim non nisi id quod impurum in succo exigit, inde namque violentia & noxa ventriculo infertur. Impuritate ablata nullus correctioni locus, nulla indicatio. Sed cornicum oculos configere tentas & elaterii extractionem tutiorem & meliorem proponis formula nō nisi ficta & emendicata. *Si v. alicui cordi ex elaterio parare extractum simplex, efficacius tuo, sumat id cum succo cydon. paratum ad unc. vnam: addito spir. vini in quem infusum sit diamargar. frig. stent simul in B. M. per triduum: postea destillentur l.a. Restibilem succum corrige cum ol. cinnam. & N. muscat. ana scrupul. I.* Inopinata metamorphosis: ex misochis, vnico momento citius factus es philochymicus, conuitiator. At aut implumis es, aut fur. Si hic, conuincor: quia si famæ bonitatem bonis viris per omnes dolos fraudesq; suffurari audes, non dubitabis etiam bonis fortunæ bonos spoliare. Prius hactenus probe exercuisti ad stuporem bonorum & piorum virorum. Posterius itaque perpetratu tibi facilius. Furtum autem esse patet, quia ex Quercetano. Ne furtum deprehēderetur, adfinxisti succum cydoniorum. Stultitia autem tua & imperitia chymiç manifesta est, additione succi cydon. & spir. vini spec. diamargar. frig. imprægnati. Ex Costæo tibi elaterium probe succo cydon. castigatur: Si hoc, quid opus affusione spiritus? An vt correctio fiat maior? At correctio inde minor vel tota vacillat. Spiritus enim elaterio succo cydoniorum castigato adfusus virtutē omnē cydon. imbibit, & per alembicum exactus eam prolectā secum aufert, restibili succo virtute ad castigationem apta orbato, aut ita diluto vini spiritu, vt non amplius id virtutis integræ habeat quæ satisfit & habilis castigationi. De cucumeris rad. iterum tripudias. Quid sit purgantis & quid non facultatis noui, non indigus tuæ calumniosæ præceptionis. Vis videri botanicus & excellens præ aliis. Asinus ad lyram mihi. Quia vt anui, sic tibi simplicia nota. Formam internam vt vitulus nouitate micantem portam aspicis, cæteroquin vitulus & asinus. Descriptio genuina mei hydragogi fuit.

Oberndorferi hydragogū furtiuum & adulteratū.

Rec. Rad. cucum. asinini, & succi fructuum cucum. ireos &c.

Σφάλμα typographicum, vt *& laureda* pro *laureola* (quæ cōpositionem hydragogi non ingreditur) non est boni viri integra pagina conuitiis & exscriptionibus furtiuis arrodere. Si vires, si bonus, si doctus, ad rem responde: confuta mea in Progymnasm. Alchemiæ tibi obiecta: desine cum laruis luctari. In re herbaria me excellēter exercitatum esse nego.

K

fateor meam tenuitatem. Betonicam pro vrtica a me agnitam non memini. Fors olim accidit, cum tu thraso botanicum exercitium Ratisbonæ institueres in syluis, aliis pluribus comitibus medicis & me oberrante. Ab adolescentia mea mihi fuisse visus imbecillitatem doleo: Hinc vt te mihi obuiam euntem creberrime, & virum bonum & doctum, eminus visum, me non cominus tuam peruersitatem & nequitiam fatuitatemque perspexisse contigit. Interim botanices me vsque ad cognarum scito, vt eorum quæ in salutem generis humani veniant notitiam exactiorem teneam, te exoticis & iis quæ nullius vsus in arte medica quæque ad lactandos aduentantes fraudulenter & imponendum prudentioribus ostentantur vt magnus Medicus videaris (quia plerique eum iam Medicum doctiorem peritioremque censent qui Gallice, Italice, barbarice lallare potest, centonesq; herbarum exoticarum, florum Hispanicorum versicolorum farcire student, qualis Oberndorferus archiater Germaniæ principum scil. *Nos poma notamus.*) dumtaxat dolose incumbente. Vt rabiens & scelestus perrennes, mentiris vrtica me cædendum ad necem, quemadmodum Ratisponæ cum sutoris cuiusdam coniuge ante biennium factum, quæ febre Vngar. decumbens sed curata vt a Diabolo obsessa ab huius fratre Andrea virgis ad necem vsque cæsa fuit. Mica, hilum, gutta, punctum, iota, Oberndorfere, in te ne fidei, veritatis, pudoris viri bo ii? Certe desperatus es. Postquam ad me tua satyra fuit perlata & lecta non sine stomacho. (Quis enim ad lectionem diabolici satyrici non stomachetur, non vomituriat?) Protinus ad fratrem scripsi, vt quandoquidem & ipse haud raro iniuriose notaretur veritatem rerum ad me actutum perscribere vellet, nec quicquam dissimularet: turpe enim non esse peccare, turpius non resipiscere; respondit ille his verbis: *Ad sutoris coniugem quod attinet, testis est mihi Deus & maritus sutor, tum Dom. Pachius Diaconus Ratisponensis, me illam vt maniacam curasse methodo Dogmaticorum, parum tamen profeciße primis diebus. Superuenit Wolfius amicus tuus* (Diaboli amicus & filius fuit, non meus) *& quia maniaca instar se gessit furtrix, compeditam iussit. Ego medicamentis nil proficientibus dixi ad D. Pachium, non semper eiusmodi personas esse maniacas habendas, sæpius Diabolo obsideri & virgis cadi. Hac arripuit Wolfius, me apud Senatum Ampliss. accusans præpostera cura & ignorantia artis, quasi omni re desperata ad ferulam confugerim.* Hæc verba fratris. Iterum itaque atque iterum victus Oberndorfere, calumniarum, mendacii, nequitiæ & falsi. Tuus autem Lupus vel Wolfius nequam fuit, qui fratrem adeo nequiter & insidiose ausus fuerit

rit innocentem traducere: nequior tu qui non erubescis cũ affine Lupo tam impudenter mentiri tam scelerate calumniari. Dignus tu qui adhuc viuis vt a carnifice vapules: Lupus tuus iam possidet suam carnificinam lupo dignam. *Laureola.)* Furis in me, Diabole, immerito: Quid admisi personate medice? *Laureda* typographo mihi *Laureola* non ponebatur in scholio, quasi ea meum extractum constitueret: Neutiquam: venenositas enim, antequam te vidi calumniatorem esse, mihi explorata: perspectum & hoc, controuersiam inter Medicos botanicos esse acrem de bella illa laureola: vnus ab altero dissentit: Nullus vllibi consensus. Tu præ aliis omnibus anniteris sapere & nouus pictor & fictor mezereonis & laureolæ. At quis mendaci & in re botanica rudi fidem habeat exercitatissimis sibi inuicem contrariantibus? Venenata sit laureola, venenatum mezereon seu thymelæa Dioscor. tibi pilulæ ex mezereo Mesuæ in hydrope frequentissimæ. Si venenatum remedium ex veneno, cur salubrium & benignorum medicamentorum vsurpator temerarie tibi pilulæ ex mezereo tibi & omnibus aliis incognito venenatissimo in tam crebro vsu? Scilicet, quia plantam deamas voratricem, & prædatricem vitæ. Laureola itaque adiuncta quod vobis tuta hydragoga venenata interim & nocentissima notare volui.

Iris succedit.) Concionatur blatero, iteratoque furto se adstringit: totam enim paginam exscripsit de facultatibus, de qualitatibus & correctione multa expuendo: tandem me incorrectæ ireos damnat, Vulcano obstrepens meo. Nam argutaris: *Vulcano tuo est tradita iris. Eacrior reddita ante acris.* Antecedens non solum principium petit, sed & mendax est. Quid medicamenti, quod nullum sine Vulcano parari potest, non acre, non tam ex chymicorum officina quam tuorum pharmacopœorum? *Hepar enim nobile viscus astrictionem semper expetit.)* Expetit? si hepar antea est adstrictum, vt tute vis, quid opus vlteriore adstrictione? In hydrope pene semper obstructio hepatis: Hæc indicat sui expeditionem. Si hoc; non adstrictionẽ, qua obstructio potius augesceret, Empirice. Iridem tu cum mello rosato exhibes & probe correctam asseris. At tibi adstrictio & robur epati afflandum: mel rosatum ne id præstat? Quomodo? Vide ipsemet castigandus mastigia. Verum cur epar corpore serositatibus exonerando hydragogo corroborandum veniat? Qui corroborabitur Epar obstructione nondum liberatum, sentina aquositatum nondum exoneratum? Valeas itaque tu cum tuis nugamentis, spermologe: Etsi alii viri præstantes succum iridis citra noxam exhibuere hydropicis, nulla tuo-

rum castigatione correctum; & ego innoxie eundem omnibus alieni s exutum vsurpaui. Prius probatur; Fernelius: Succus radicum mundatarum contritarumque residendo depuratus cum oui vitello albumine prius effuso commistus ex testa tepide sorbeatur vel paretur sequens haustus: ℞ *succi rad. iridis per residentiam depurati drach. ij. vel vnc. mediam. syr. ros. solut. vnc. vnam.* Syrupus factus ex succo *rad. iridis, & saccharo* inuicem coctis ad debitam formam multum valet in hydrope, dando ex eo vnciam vnam vel sesquivnciam in aurora. *Petrus Bayerus.* Idem Anton. Fumanello vsitatum. Gesnerus sequentem haustum in frequenti vsu habet cum magno hydropicorum commodo sine ficta iridis correctione. ℞ *Hydromelitis vnc. iij. Bull. cum vnc. 1. aceti opt. vnica ebullitione, dissolue diaphen. drachm. sex, succi rad. iridis vnc. mediã:* F. haustus. *E. innoxie & mea extractio nullius vlterioris correctionis indiga.* Si enim id quod noxium admixtione rerum heterogenearum habetur digestione & separatione artificiosa depuratur, non erit correctioni alii locus vllus: *Iris hoc artificio depuratur: E. non amplius castiganda.*

Absinthium Ponticum, Soldanella.) Absinthium Ponticum postponit nostro herbarius. Cultura enim mitescere illud & exuere adstrictionem. At herbarium nostrum gustus arguit mendacii, Ponticoque adstrictionem maiorem reliquis adiudicat. Quanquam nec nostrum repudiandum. Verum quia vsu & experientia peritorum virorum Ponticum efficacius in hydrope constat, hoc nostro anteferendum duxi. Camerarius ex Matthiolo: Fit ex absinthii Pontici floribus recentibus saccharo simul conditis antidotum ad hydropem præstantissimum, cuius longo vsu perplures sanatos vidimus.

Soldanella Alpina.) Nouum tripudium Oberndorferi; vt tripudiat hircosus senex, Alpino excitatus adeo bono nuntio: quam tripudiat homo? quam erigit cristas? Ohe, Oberndorfere, iam satis est tripudii: Dabis & mihi locum, Soldanellam Alpinam studio pro marina posui: non quod purgandi facultatem tribuerim solum, sed quia hepaticam scio & egregiam in deobstruendo fuerim expertus. Commendabatur id plantæ olim, cum Illustrem Dn. Georgium a Meixelshein in Wallenburgica arce finibus alpium adiacente, curarem, ab ipsius C. perito chirurgo & botanico excellente, Mag. Ioanne, qui ob felicitatem medendi ibi loci celebris & celebrandus merito, aduersus hydropem & omnis generis affectus epaticos nobile hepaticum. Alpibus ibi loci perlustratis incidimus in plantam elegantem ob flosculum cæruleo colore pulcerrimo insignem, multipliciter dissectum, campanulæ formam repræsentantem.

tantem. Subsisti obiecto hoc, respiraturus æstuans: rogo abiturientem chirurgum, quænam & qualis hæc planta: foliis videri Soldanellam, floribus tamen aliam. Ille: credas mihi, occurrit tibi planta ad omnes epatis affectus nobilissima, qua omnes hydropicos meos ictericos curaui & duos hepatetenus vulneratos. Ego: Ergo verum erit hepaticum & nobilius reliquis & aliis cichoraceis. Annuit & multis exemplis efficaciam nobilem simplicis mihi commendauit. Fateor ante mihi istam plantam nunquam visam, sed in Matthiolo Camerarii lectam. Domum reuersus & elegantiæ simplicis memor & deprædicationis a viro perito & bono, vere alias simplici, inquisiui eius ideam & facultates apud probatos auctores: Idea respondebat: Facultatis altum erat silentium. Experimento nisus chirurgi Illustris Domini a Meixelrhein, feci eiusdem plantæ folius periculum non semel. Effectus respondit feliciter & adeo, vt prætulerim Soldanellæ marinæ multis nominibus noxiæ. Confirmatus fui non tam experientia mea & chirurgi, quam inopinata Clusii de historia stirp. lectione his verbis docentis: Soldanellæ nomen inditum, quod eius folia soldanellæ marinæ foliis sint admodū similia: vulgare nomen nullum ediscere potui ab Alpinis pastoribus & venatoribus, sed neque vllas facultates notas habent. Noster enim Lœbelius empiricum quendam foliis vsum ad aquas in ascite educendas vulneribusque cicatricem obducendam asserit. En herbarie coctor Oberndorfere duorum empiricorum testimonia: quorum amborum scilicet patet, soldanellam Alpinam aquas ducere in ascite, hepaticum esse eximium & nobile. Ab empiricis, spues, hoc testimonium, ideoque empiricum. Esto: an propterea respuendum remedium? omne remedium, qua tale, ab empeiria. Vnde tibi vulneraria facultas istius plantæ, asine? ratione tua? at ratio tua bruta, vesane medicaster. Ex empeiria id habes perspectum quicquid habes. Ab experientia, ab empeiria omnia nostra medicamenta. Tripudias iam? repete, amabo, tripudium. Si cares socia, roga Mercurium, vt intercedente Lupo adducat Circen, cuius catenata circuitione fors, obliuiose Chremes, doctior es futurus si nō stolidior. Botanices cognitionem παρέργως commendas stulte: Me natum nolim, si cœcutiens licet oculis, notitia herbarum tu mihi praferendus: Descendamus in arenam, si lubet. Crepas studium botanicum: vtinam tibi & aliis eius verum studium & non potius rude: hoc est, specie tenus. Botanicus vis cum aliis haberi, quia hortum habes Ratisponæ multis exoticis exornatum plantis. Illustris es & haberis: Sed a quibus? qui te doctum & gnarum censent ob hoc studium & cultum horti tui solum, stulti sunt cum

Arrige aures asine Obern-dorfere.

stulto Oberndorfero, illustres licet, & licet illustrissimi. Vin' caussam? Habe: accipe: simplicia colis, foues, rigas: florescentes indigitas iam Gallice, iam Italice, iam Arabice, nunc Latine, nunc Græce: sed hoc admodum raro. Cum essem Basileæ, consueuit & Bauhinus suum ostentare botanicum studium omnes omnium botanicorum nomenclaturas cuilibet simplici accurate attribuendo: de facultatibus & viribus erat silentium altum. Felicitas memoriæ inde celebranda & diligentia, sed ingenii nihil inde arguendum & vtilitatis, minus scientiæ, vnus cuiuslibet, hoc est & plebeii, imo bruti notitia excellentior. Serpentibus est tuum antidotum: ceruo tuum alexipharmacũ, busoni tuum &c. Tanta notitia nec tibi, nec aliis tuæ farinæ similibus, homines licet: Vsus n. simplicium te latet: Non animalia bruta? Et hæc sapientiora te. Stolidius itaque animal Oberndorferus, plumbeum bliteum & ad Cynosarges. Galen. 1. de antid: vult quidem vt medicus omnium stirpium, si fieri possit, notitiam habeat: sin minus plurium saltem quibus frequenter vtimur, &c. Qualem peritiam? Peritia ista non est faciei, sed facultatum & virium. Ista tibinc? Mentiris, si affirmas. Iniuriosum dices? Ego non iniuriosum, sed verum. Quicquid enim hactenus effutiuisti de simpliciũ facultatibus, non ex tuo sed aliorum penu depromtum descriptum. Furtiuum itaque. De primis & secundis qualitatibus & tertiis & quartis bacchatis: Istæ non ex visu & gustu: vsu & experientia sola, sed logica. Cichoreum facietenus nosti, virtutetenus non nosti. Si hoc, non ex illius nudo aspectu, sed vsu. At nec hic tuus, sed aliorum, ideo transcriptus. Hippocrati, Galeno nostro non tertia pars medicamentorum nobis iam vsitatorum perspecta explorata: medicinæ tamen coryphæi & præceptores. Notitiæ simplicium necessitate probas inductione singularium absinthii, aloes, hyssopi, mulsæ, theriacæ, &c. Argutus ædepol disputator. Oportet medicũ esse botanicum, hoc est, scire hoc esse cichorium, illud soldanellam facietenus: nescire interim vtriusque facultates. Elenchus homonymiæ est. Vitulus aspicit nouam portam & est vitulus. Oberndorferus conspicatur simplicia horti sui, & Arabica barbarica illis adfingit nomina & manet Oberndorferus. Non consecutio ideo, vitulum scisse portam esse portam, & te botanicum. Absinthium agnoscis facietenus, aloen colis ad miraculum, (miror te non ideo peregrinationem instituere) hyssopum (hæc enim tuæ ὀψώνια) mulsam bibisti, theriacam deuorasti: Ista vt alia pleraq; incognita esse & imperfecta medico senescenti licet ex ignoratione facultatum patet & ostenditur hoc ratiocinio:

Cui

Cui aloes, absinthii, mulsæ, hyssopi soldanella, &c. vires & facultates sunt incognitæ, eidem ipsamet simplicia inexperta esse oportet ac ignota:
Oberndorfero aloes, absinthii, &c. vires sunt incompertæ. E simplicia ipsa.

Propositio axiomatica est: τὸ ὅτι enim scientia nulla; ignorato τῷ διότι: Hinc enim notitia scientia. Assumtum probatur: Oberndorfero absinthium datur vtiliter ad deiiciendos e ventriculo biliosos humores, ad pituitosos vero minime. Vnde hæc illustris absinthii scientia tibi? Experientia. Tua? Mendax est quia tu mendax es euictus: Nihil itaque fidei tibi debetur. Dioscor. l. 3. c. 27: Absinthium vim habet calefaciendi & adstringendi: bilem expurgat: ad inflationes stomachi & ventris prodest: abstergêt. Galen. 6. simpl. medic. extergentis facultatis censet, Si lex ἀντιπαθείας vera, absinthium qua est calidũ, acre, extergens, valebit magis ad pituitam abstergendam quam bilem: Hæc enim non nisi sui alterationem indicat per se. Inflationes ventriculi vnde nisi ex pituita inflante. At Dioscor. absinthium proficuum est ad inflationem. Absinthium igitur tibi incognitum puero, rustico, stulto licet viso. Aloen itidem ignoras cultam licet in horto tuo & singulis momentis obuiam. Nam si facultates aloes tibi exploratæ, non cotidianus adeo tibi eius vsus: Nullus eorum, qui te consultum adeunt, cui non aloen rosatam commendes. Vsum eiusdem iubes hebdomadarium cunctis promiscue. Vsus itaque perennans eius non potest non ventriculum extergendo humidissimum in ficciorem constitutionem permutare, inque irreuocabilem tabem hominem adducere, quemadmodum Galen. 8. de comp. medicam. monet.

Oberndorferus in visitatione pharmacopœa Iungiana, electũ ex pomis amoris a famulo ... exemplo ... illã colente, & aliquando, quidnam vtilitatis haberẽt poma, me in horto obambulantem: & aduersus scabiẽ per vulnera commendari ex illis factũ oleum; interrogante parum, veneni accusauit. Adeo peritus rei herbariæ est, adeoque venenatus vt omnia venenata consultatori videantur.

De hyssopo fabularis.) Tussis varias profitetur caussas, conferre in tussi, ais, ab humoribus crassis pulmonem obsidentibus nata? Nocentissimum illud, tussi orta a calida pulmonum intemperie, ab acri destillatione &c. At Galat. 8. simpl. medic. cum Matthiolo in peripneumonicis hyssopum proficuum asserit & decoctũ eius cum ficubus melle & ruta potum exhibet. Peripneumonicis autem calida intemperies pulmonis, imo febris tabescens.

De mulsa nugaris pueriliter.) Ad sputi eductionem mulsa maxime vtilis: vbi autem glutinosum est sputum, quis felici successu vtatur? Mulsa non detergeat glutinosa? Hipp. 3. de morb. acutis, melioratum substantiæ mediocritate πνεύμονος μαλθακὸν δὲ ... παχύ ... σμηγματώδης τι: & est ῥυπτικόν. Quid σμηγματώδης Hippoc.? Ab excellenti abs-

tergendi facultate ita in Hipp. mulsa indigitata. Oxymel abstergendi si pollet virtute a melle habet, & adiuuatur aceto cui incidendi potestas.

Theriaca.) De abusu theriacæ vana vane. Me præpostero theriacæ vsu quendam in quartanam, ex hac in grauiora symptomata, hinc in mortem præcipitasse calumnia est, mendacium est. Cur non definite loqueris si bonus es & infanti imponis nomen? Multos curaui quartanarios, sed non memini vllum mortuum. D. Aschingerus occurrit solus, quem curaui per mensem integrum: ab hinc tu vocatus & mecum per bimestre curam subiisti: Quid hinc inde consultum, quid adhibitum meministi: Consilium itaque approbes necesse est, quia & tuum, raro meum. Per integrum semestre laborauimus in expedienda obstructione, materiæ contumacis præparatione, non negligentes partium naturalium & vitalium confortationem. His feliciter peractis paroxysmo perpetuante tuo consilio, non me tamen refragante, theriaca fuit adhibita. Febris fugata eius vsu: sed cachexia, qua ante, si meminisse velis, febris quartanæ inuasionem erat conflictatus, inualescente in hydropem delapsus & ex hoc in Epilepsiam qua periit. Ἐκ περιττῶν tu malitiosus, mendax & conuitiator, qui non dubitas notam præposteræ & perniciosæ curæ mihi imponere ipsemet illius auctor.

Eupatorium.) Et hoc mordes, quando mihi nec visum nec abaliis distinctum. Pharmacopœis notum est Eupatorium veram agrimoniam esse, Auicennæ & Mesuæi rarius in vsum hactenus receptis. Conculcandum itaque & hoc purulentum tuum sputum.

Rheubarbarum.) Hoc non potest non extractum hydragogum ingrediens laudare: extractum vel liquorem vellicas dumtaxat, quo nihil non interuellas. Extracto & diluto rheubarbari corroborandi vis abest: E. præstat ipsius substantiam exhibere. Quis a. tibi concedat antecedens? Dices, non probas. Temere itaque affirmanti negationem sanam obiicio, & argumentor: Si extractio rheubarbari essentialium virtutum ἐκχύλωμα est, erit & facultatis corroborantis, astrictione definitæ: At prius: E. & hoc, quod & sensibus demonstrari potest. Et hoc: Des rheum in substantia? Hæc ad Eparne? Asinus es, si annuis: si non substantia, virtute: Si hac, proba, purgantem penetrare sine tua corroborante facultate. At quantum & quale hic tantundem vtriusque erit in diluto in extracto & efficacius. Ad Anticyras itaque cum tuis laruis.

Mechoacanna.) Neque hæc vndiquaque salua abit. Astrictionem radici affingis vix perceptibilem: hanc metuis penitus extrahendo omitti. Amit-

ti. Amittatur quia non vsui. Hydragogum expetitur:at hoc non ex adstrictione constet. Si castigabilis mechoacanna, castigetur adstrictione eius susque deque habitam, quia nihil ad purgationem & heterogeneum. Stultum est in purgante robur partis purgandæ desiderare. Proba, proba, repeto, botanice, astringendi in rheo & mechoacanna facultatem affectam esse ad robur Epati afflandum. Si hepaticum est & adstrictionis beneficio tale, cur, asine, spicam addis; mechoacannæ Zingiber? Quod sua natura corroborandi vi pollet, non indiget alieno. At rheubarb. mechoacanna ea vi pollent: frustra itaque aliunde robur illis acquiris, botanice brute: Accedit & hoc; bachantismum esse ferulis expurgandum, hepar obstructione obsessum, vt omnium hydropicorum, ante expeditam obstructionem adstringētibus & corroborantib. curare velle: Quomodo Epar obstructū, adstringente rheubarbaro, mechoacaña corroborabitur asine? Dic, eloquere o propudium: Quid multis: Hoc infero tibi & tuæ farinæ doctorculis: Si purgantibus rheubarb. mechocannæ corroborandi facultas viscera expurganda inest, stulte corroborantia alia admiscentur. At Oberndorfero de perdendo illo robore sollicito admodum, istis ambob. inest: E. At est solicitus: E. Oberndorferus asinus de alienis sollicitus. Neutiquam autem do tibi, rheubarbaro mechoacannæ facultatem corroborandi Epar inesse. Hepatis enim robur non consistit in adstrictione, licet tibi caro hepatis stolidissime sit sanguis coagulatus: Facultas enim adstringens heterogenea est, ideo stultum roboris phantasma. Si id de robore hepatis; cur hepatica decernis Epaticis, hydropicis? Cur Epar lupinum, ebur, corall. &c. Ridiculum autem hoc admodum Oberndorferi: hepar esse sanguinem coagulatum, ideoq; adstringētia in robur sui indicare. Dic Aristarche, vnde acumen hoc? Coagulatū, densum, spissum, natura, indicare densantia, adstringentia? vbi tua deprædicata Galenica ὑπεναντίωσις. Hepar enim in hydrope strictius, magis coagulatum, spissius asseris, & ideo morbum aliquoties vocitas strictum. Hic certe contrarium indicat iuxta tuam decantatam methodum. Contrarium autem relaxans, quod adstringendi opponitur scil.

Esulæ essentiam plantæ Empirico digne.) Vehe conuitiorum & calumniarum in hanc inueheris plantam, calumniator. Nolo autem occupari tuis mendaciis refutandis partim ex te natis partim aliunde. Noxam & calamitatem esulæ proponis diabolico certe conatu & insano. Depuduisti effrons omnem pudicitiam. Aliud est esula non correcta; aliud correcta, aliud huius peritus & prudens vsus, aliud illius & huius præposterus & Oberndoferianus. Exagitauit antimonium Diabolus Oberndorferus

& mercurium ac remedia ex istis facta: vegetabilium remedia quæ illi malefica, non mitius tractat licet ipsi in quotidiano vsu, & correcta superius approbarit. Vesanus Oberndorferus pro incurabili sua rabie, damnat esulam omnis venenositatis & noxæ: quo fundamento? Conuitiis, mendaciis, transcriptione mendaci mēdacium auctorum. Non enim solum mentitur aperte, esulam recte præparatam istius, cuius describitur, virulentiæ esse: sed & mendacissimum istam etiam imperite & vulgariter vsurpatam ea progenerare symptomata: quanquam hoc accidentis & non causæ foret. Ego benignitatem esulæ correctæ omnibus medicis cōmendatam volo & admonitos eosdem, ne fidem habeāt etiam antiquioribus, plantam nobilem tot noxarum & damnorum imperite & falsissime criminantibus. Vt paucis concludam crimina criminantis Oberndorferi, Syllogismus archiatri principum Germaniæ Oberndor. effertur impudenti ore huiusmodi.

Attendite Asclepiad. proceres.

Qui hypercatharticis & violentis, si non venenatis, pharmacis nefarie vtuntur, boni viri non sunt nec veritatis virtutis & veræ medicinæ limina attigerunt.

Assumit Oberndorferus: *Rulandus vtitur hypercatharticis & violentis medicamentis:*

E. non est bonus vir, nec veritatis, virtutis & veræ medicinæ limen attigit.

Repetatur Syllogismus magnus magni medici. O pudor! O vesania! Proba si vir es, si bonus, si verax, si guttam honoris in te habes: Si nequissimus omnium in toto mundo calumniatorum non vis haberi proba: repeto assumtum, quod nego & pernego. At vt sapere discas, licet desperatus, retorqueo Syllogismum ex tuo cerebro depromtum non meo:

Oberndorferus omnes medicos damnat veneficii, nequitiæ ignorantiæ, & semetipsū improbitatis nequissimæ.

Qui medicorum hypercatharticis & violentis, si non venenatis, pharmacis vtuntur, ij non sunt boni viri, nec virtutis, veritatis & veræ medicinæ limen attigerunt.

Hippocr. Galenus, Auic. Rhases, Fernel. Mesue, Florentinum, Noribergense, Venetum, Parisiense Asclepiad. collegium hypercatharticis & violentis medicam. esula colocynthide, lathyride, elaterio, helleboro sunt vsi:

E. Illi non sunt boni viri, non a limine salutarunt medicinam, non veritatem: non virtutem.

En quorsum erumpas, beane, tua rabie; Hellebori albi vsus fuit Hippocrat. celeberrimus. Inuexit lethalia Symptomata conuulsionem, hypercatharsin, singultum etiam dextre administratus. Hippocrati ne ideo detrahes

detrahes medicinæ ſcientiam, pietatem & veritatem & virtutem? Diabolus es & carnifice obtundendus, non ſanis rationibus confutandus, Deſperatus es. Fernelius iure & merito honorandus de medicina optime meritus: tibi ne talis? Negas eum bonum virum & talem qualem trifurcifer impudentiſſime euonis? Hydragogum ipſi de eſula medicamentum tutum & expertum: Benedicta laxatiua eſt ſaturata eſula, auctore Nicolao. Quis medicorum abſtinet ab eius vſu? Nebulones ergo tibi nequam impudentiſſime. Repetam tuum Syllogiſmum iterato quo propudium toti proſtituatur clarius mundo:

Oberndorfero omnes Medici nebulones ſunt, Medici perſonati, qui vtuntur Eſula. At omnes celeberrimi Medici omnium Rerumpubl. vtuntur cõpoſitis eſula ſaturatis, vt Benedicta lax. & cat. Ergo omnes Medici probati quotquot ſunt, Oberndorfero nebulones & medici pſonati. Ferula carnificis nequã Oberndorfero tibi.

Quicunq; medicus hypercatharticis & violentis, ſi non venenatis, vtitur medicamentis, is non eſt bonus vir, nec virtutis, nec veritatis, nec vera medicina lumen attigit:
Oberndorferus vtitur quotidie iſtis hypercatharticis medicamentis violentis, vere venenatis:
E. Oberndorferus eſt nequam, mendax, nebulo, expers virtutis, & aſinus in medicina.

Minorem probo: Recepta ipſius manu exarata offerunt extractum cochiarum, ſine quibus, El. Benedictam laxatiuam: pilulas ex mezereo. At hæc habent colocynthidem, diagridium, & thymelæam vitæ prædatricem. E. vera Oberndorferi notatio.

Examinatis hydragogi ingredientibus conuitiando atrociter, mẽtiendo audacter Oberndorferus arietem vibrat quo totum hydragogum diruere contendit & auctorem. Conſiſtite autem firmius, viri boni nec extimeſcite facile. Hircoſi enim ſenis vermiculoſus ſtipes duntaxat & caudex: Et eſt talis.

Morbis maximopere differentibus methodice non conuenit idem remedium.
Hydropis ſpecies, aſcites, tympanites, anaſarca, ſunt morbi maximopere differentes: E. non conuenit iiſdem vnum remedium & hydragogum Rulandi.

Propoſitio falſiſſima eſt calumniator: Morbi admodum diſſentanei naſcuntur ex vna & eadem cauſſa, vno eodemque humore ratione cuius conueniunt, ceteroquin diſſentiunt: Illa ſiue bilis ſiue pituita indicat ſui ablationem a præparatione, ſi quis huic locus per medicam. ducẽdo humori aptum, cholagogum, phlegmagogum. Hinc te omnes tuos patientes Syr. Ferneliano, magiſtrali, extracto cochiarum & aloes indiſcriminatim ſatis empirice purgare contingit, & nullum tibi aliud medicam. purgans. Morbos ex plenitudine varios eſſe accidit: curantur vero vnico re-

medio methodice, venæ sectione: vt morbis dissentientibus idem ψιλῶ λόγῳ competat remedium. Assumtum pari falsitate infame. Qui affectus enim parte affecta & caussa consentanea sunt, ii maximopere differentes esse nequeunt. Ascites, tympanites parte affecta & caussis conueniunt: E. tantopere, vt tu fingis, differentes esse nequeunt. Assumtum probatur: Iecur semper afficitur vt 5. de loc. aff. 6. Siue primarie siue per consensum, vt etiam 2. Progn. decretum est, & a Paulo l. 3. c. 48. confirmatum. Communis autem omnium (vt inquit Celsus) caussa est humoris nimia abundantia, vt patet etiam apud Hippocr. & Gal. 6. lib. aphor. 8. Et communis generatio cuiusuis aquæ inter cutem est, vbi sanguificationis officium intercidat, nempe refrigerato hepate, & ex consequenti venis omnibus ex l. 5. de loca. ff. c. 7. Obratiocinor itaque:

Quibus affectibus est eadem caussa morbifica, iisdem & eadem indicatio caussa.

Hydropis speciebus est eadem caussa morbifica: E.

De parte affecta non est nos iam verba fundere: Non enim de curatione eius & iecoris agitur, sed duntaxat de caussa materiali quæ est aquositas intra peritonæum & intestina natans. Qua abundat, sui indicat euacuationem necessario. Idea humoris arguit non phlegmagogum, non cholagogum, sed hydragogum. Iam quæritur, vtrum hydragogum ducendæ vtriusq; speciei hydropis aquositati conueniens dari possit & methodice exhiberi. Oberndorf. negat & empiricum, stultum, ineptum clamat: Ego affirmo & probo hoc Syllogismo.

Demonstratur idem remedium conueniens hydropis speciei tergemina.

Vbi est idem indicans, ibi est idem indicatum & remedium:

In hydropis speciebus enumeratis est idem indicans: E.

Tripudia iam & ostende a tripudio lassus, vtrum ego empirice, nocenter, nequiter calumniator curauerim. Febris quam fidum Achatem appellas Ascytæ & tympanitæ, & tibi hectica habitum corporis depascens non obstat huic indicationi nec alia concomitantia, o Doctor insulse: Nec flatuum tympanitæ affirmatio quidquam detrahit eidem indicationi. Hic enim tam restagnat aquositas quam ascite: Et refert nihil, hic plus redundare, illis minus. Quæ est caussa aquositatis, eadem est etiam flatuũ: Estque adhuc sub iudice lis, vtrum in tympanite, sit plus flatuum quam aquositatis: in ascite plus huius quam illorum. Pendeat itaque lis, sicq; iacebit & indicatio. Febris comes ascitæ & tympanitæ, quandoquidem symptoma a Saburra ichorum putrescentium dependens, neutiquam innouabit ἔνδειξιν, sed cessabit caussa eius ablata: Quanquam mendacium est & magnum, comitem ascitæ indiuulsum febrem esse, & continuam & hecti-

hecticam & habitum corporis occupantem. Ohe baccharis: tabes seu atrophia potius habitus corporis tabescetis e febre & hecticis? Ex quibus pstantissimis medicis medicaster? Iaces Oberndorfere: aduoca caluitium tuum, miselle coctor: cum hoc pulere tripudiato. Sed nondum palmam dat Oberndorferus: Plures & fortiores habet vibrandos arietes: vnus ex medicament. hydragogorum vehementia, alter vero e veneno ipso conflatus exsistit.

In hydrope hepate ante labefactato conueniunt benigna purgantia, sepius repetenda non mochlica & venenata: Rulandi hydragogum est venenositatis noxæ damniq; irrecuperabilis suspectum: E. proscribendum.

Minorem proba, si vir es, si bonus es, si verax es. At tu hactenus probasti nihil, quin potius mentitus es impudenter, calumniatus atrociter, nugatus sycophantice. Benigna medicamenta purgantia in hydrope suades exhibenda, repetenda? Quæ benigna? Tua supra recensita benigna non sunt conuenientia: Rogas? quia non hydragoga. At serositas in hypogastrio natans, non nisi hydragogis elicitur. Tu sufficere ad eius electum rheubarb. mechoacannam, &c. obgannis. At gannitus rudentis. Eperientia enim cum Heurnio testatur neutro aquositatem duci circa peritonæum fluctuantem. Aliud itaque remedium indicatur, indicatione, non tam ab idea humoris prolicienđi, quam loco aquositatem illum continente capienda. Indicatur ergo remedium, quod ea pollet facultate, qua exsorberi vel euocari queat serositas illa; quod est hydragogum. Huiusmodi est meum: E. ἐνδεικτικῶς curatum, conuitiator. De violentia, venenositate, damno insequentibus hydragoga, quæ tute ingenti, rictu effuso vomitu effutiuisti impudentissime, responsum est iam abunde. εἰς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται. Sed tamen ad morbos extremos, extrema ad vnguem curatio præclare facit. Contrariorum enim æquali excessu pugnandum est cum morbo. Benignorum tuorum nullus locus. Imo benigna tibi, mihi maligna, venefica, quia non iuuantia, quia in grauiora coniicienti ægrum symtomata: Id probo; *Quæcunq; rem edia alium humorem ducunt, quam peccantem, illa non modo nocua, sed & grauiora conciliant ægro symptomata. Benigna Oberndorferiana in hydrope exhibita alium ducunt humorem quam peccantem: E. stulto Oberndorfero benigna medicamenta venena redarguentia eundem inscitia, imperitia & culpa ægrotorum supina negligentia interemtorum.* Inexpertum tu, imperite calumniator, fabularis hydragogum: Inexpertum? Producam in Chymiatria experientiam locupletem: Exspecta interim & de-

Rheubarbaro, mechoacanna & Oberndorferianis benignis, in alterū hydropis restagnans aquositas non exigetur. Ideo non mirum, Oberndorferum, omnes, quos curauit ex hydrope in cœmiterium amandasse.

discè calumniari. Nullum est ingrediens hydragogi, quod non sit vsu probatum. Negas? negas igitur diem diem, ac noctem noctem. Cuiuscunq; n. compositi simplicia longo vsu probata compositum nullius vsus non est damnandum: At hydragogi Rul. ingredientia omnia & singula longo vsu sunt probata: E. nec medicamētum ex illis conflatum omni prorsus carebit vsu. Valeas iterum cum imperitia tua vana. Tantum de ariete, quo sed stramineo hydragogum ꝓsternere est annisus, sed futili conatu Oberndorferus: Sequitur alter ex veneno compactus. Hoc mōstrosus senex definit deleterium nunquam iuuans neque sanos neque ægros homines. Distinctum itaq; & aliud a pharmaço, quibus Galen. 2. de vict. rat. in morbis acutis ἐναντία ἡ φύσις. Item venena, vt & venenata quoque, non dicuntur vsu promiscuo talia, sed abusu. Iam sic oppono: *Quæ medicamenta abusu venenata censentur solum, ea oportet per se & natura salubria esse. Rulandina remedia abusu sunt talia.* Ergo *reipsa salubria innoxia censenda.* Assumtum est mendax: Proba abusum meorum medicamentorum, si vires, si bonus es: quanquam assumtum ipsemet inficiaris. Si enim notasti meorum medicamentorum abusum, & πῶς illa noxæ damni accusasti: quare tam impudenti & diabolico molimine in singula quæque simplicia inuolasti probaturus pro virili omnium eorum venenositatem? vanum iam laborem tuum ipsemet irritum fecisti & peruersitatis, nequitiæ, calumniarum te coarguis, dum medicamenta iam simpliciter venenata sputasti, ā πῶς ὴ κατά τι. At nouū non est, Oberndorferum implicare contradictionem, quæ nihil aliud est quam mendaciū. Vt tua vesania & implicitum cerebrū calumniis mendaciis patescat dilucidius, erumpis in hæc argumenta:

Chymica remedia furiose per superna & inferna purgant: E. venenata: quia characterem venenorum, qui est lædere, habent.

Antecedens fateris ipsemet πῶς verum esse & abusum notari tum imperitiam administrantium laborantiumque. Acquiesce igitur, furiose calumniator, tuamet solutione & abstine deinceps a tam purulentis sputis, mendaciis puris putis, calumniis acerbissimis. Fallaciam itaque impingis κατά τι accidentisq; quanquam mendacium est Chymica remedia furiose purgare sursum, deorsum. *Quæ sunt huiusmodi operationis violentæ, chymica non sunt: Helleborus tuus Hippocraticus, extractum cochiarum tuum & tibi frequentissimum radix asari tanta tamque violentæ purgationis. Venenata* igitur. Esto tamen quorundam chymicorum dicta violenta purgatio, qualis antimonio vitriato inprimis adscribitur, vt largiamur aliquid nostro Aristarcho hircoso; nondum cuiuctum tamen, venenata esse

Venenum quid?

Venata medicamenta Oberndorfero πῶς n venenata & abusu.

Non quod sursum, deor. sumq; purgat & ideo venenum a fine Oberndorf.

esse medicam. ideoque lædentia. Nam quod purgatione violenta noxiũ exigit corpore, id tantum abest lędere quidquam, vt noxis & caussa morbifica exclusis sanitatem & εὐφορίαν restituat, iuuetq;. Hoc præstant chymica remedia, & longe felicius tuis benignis, scil. colocynthide saturatis medicamẽtis. Raro purgatio, imo nunquã vere cũ εὐφορίᾳ perficitur: molestiarum plena, quia naturæ vis infertur, quia omne remedium, qua remediũ benignissimũ etiam, naturæ inimicum, vt εὐφορίᾳ neutiquã vllum remedium purgans qua operatur sit circumscribendum & bonitate. Effectum purgantis si sequitur εὐφορία non noxa καὶ δυσφορία, censendum id remediũ bonum & salutare, siue sit iam chymicum, siue non.

Pergis insanire: *A Chymicis medicamentis, extractis non segregatur venenum & noxa: argumentum artis non fidæ, sed dubiæ halucinantis, quia extractis suis addunt essentias, aromat. caryophyll. cinnam. vt Libauius loquitur, &c.* Verum blatero ignoras elenchum. Olea ista addũtur extractis quandoque, interdum omittuntur omnino. Adduntur autem, non vt corrigant malignitatem medicamenti quæ iam segregationis artificio est ablata, sed vt palato sumentium partim gratificentur, & suauiora efficiant remedia, partim vt remedium diuturnet vlterius: quandoque vt consulant cacostomachicis, qui medicam. omnis noxæ expertia vix ferre possint. Non itaque medicamenti caussa ista fit correctio, sed accipientium gratia. Atque hactenus euincere voluisti, Oberndorfere, κατὰ δύναμιν καὶ χεῖρα σοῦ, mea medicam. inexperta esse, venenata, violẽta, periculosissima; sed inani conatu, ausu impudenti, molimine nequam. Argumentis enim, vt virum bonum & doctum decet, non militasti, sed conuitiis atrocibus, calumniis acerbis, criminationibus plusquam diabolicis iniuriosissime me incessiuisti; sed quæ omnia & singula tibi Oberndorfero maledicentissimo iure, quo par est, retorqueo.

2. Extractum diacatholicum.

Examen huius tuum tumultuarium est, quia tumultuarius. Te iam ais demonstrasse, (debacchatum esse, debuisses dicere) Rulandum non nisi violentissimis vti medicam. helleboro, diagridio, troch alhaandal. antimonio, turpetho. Calumniantem te audiui, non demonstrantem, demonstrator futilis. Probatio tibi etiamnum incumbit: Et quia in æternum probare ista purulenta sputa, vomitiones pestilentiss. non vales, ideoque crimen mendacii, conuitiorum, nequitiæ, peruersitatis, in te residebit. Sidat ergo & tenaciter: Et vt tenacius hæreat retorsio, adiungo clausulam. Tunc enim res bona dicitur, clausula quando bona est. Quicunque alium venenatorum medicamentorum, violentorum, no-

centissimorum damnat, illis ipsis tamen is cottidie vtitur audacter, ille reus veneficii & calumniarum nequitiæque peragitur:

Oberndorferus Rulandum venenatorum medicam. periculosissimorumq́, accusat, quorum ipse tamen vsurpator audax. Ergo &c.

Minorem probo: Oberndorferi recepta, quæ ad manus sunt manu eius exarata, habent extractum cochiarum, sine quibus, aurearum, pilul. de mezerea: at colocynthide, diagridio refertissima sunt medicamenta, quæ Oberndorfero sunt violentissima, periculosissima. E. tu veneficus reusque homicidii. Non est purgandus tibi sanus siue æger, cui extractum cochiarum porrigas: id tua manu qua formulas scripsisti, attestante. At pilulæ cochiæ, quid boni & benigni habent? pul. hieræ, colocynth. scammon. turpethum, stœchad. Egregia compositio & tuta! Colocynthis tibi, turpethum tibi, scamonium tibi venenatissimum, periculosissimum. Itaque *quicunque venenatis, violentis, absque omni correctione vtitur medicamentis, ille est veneficii reus & eiusdem reus peragendus: Oberndorferus vtitur creberrime medicam. venenosis violentis, non correctis:* E. Oberndorferus veneficus & venenatus medicus. Assumtum patet liquido. Vbi est in extracto cochiarum correctio colocynthidis? Vbi castigatio scammonii, vbi turpethi? E contra, Oberndorfere: *Quicunque medicamentis vtitur correctis & malignitate exsutis, ille est medicus bonus & beneficus: Rulandus vtitur medicam. bene correctis & malignitate exsutis: E. medicus bonus & beneficus.* Tripudia iam calumniator: vicisti buccinator, triumpha scurra? Minorem negas? At ego demonstraui tibi huius veritatem in elencho medicament. progymnasm. & in exercitat. meis pragmaticis vsum bonum & medicum ad nauseam vsque edocebo. Sed tibi aqua hæret, argumentis si tecum pugnatur: Hæres sicut mus in pice. Interim strenue conuitiari, mentiri, pergis: hac arte proficere attentus. In elencho Progymnasm. ostendi me duplicem correctionem adhibere in pharmacis castigandis: vnam, a menstruo desumendo: alteram vero ab artificio segregationis. Hanc tu præteris correctionem ne verbo quidem sano vtranque impugnas: Morsus & mendacia adfers: ceteroquin nihil. Abi ergo calumniator profligatissime ad societatem eorum, qui non possunt non διαβάλλειν, diabolorum turmam, quorum furiis instructus in aciem descendisti. Deus te iudicet.

Pilulæ cochiar. vehementiss. periculosiss. medicament. quia colocynthid. turpethum diagrydium, incorrecta possidet. Oberndorfero vero illius vsus cottidianus.

3. Nepenthes Rul.

Vertumno mutabilior hic calumniator: Iam probas, iam improbas remedium: Solemne scilic. tibi ex nigro album facere, & ex hoc illud. Noui-

Nouitatis accusas & nominis & remedii, furti quin etiam me: in fine examinis opium damnas noxæ & narcoseos. Nouum nunquam diuendidi remedium: calumnia est; mendacium est, ex Paracelso me id remedii. Mea enim ab ipsius multum discrepat compositio. Auctor Nepentheos primus ego? Mentiris buccinator: Mea compositio ex Quercetano non integra: Immutaui quædam. Carpis? Quare mihi non fas medico? Buccinatorem me noui nominis Nepentheos tu? At tu Cratonem onomatheten primum. Mendacium est. Primus ὀνοματοθέτης Zuingerus: calumnia itaque me primum Nepentheos indigitatorem. Furti me reum facis? At id neutiquam furtum, quod sciente & volente domino comparatur. Noxæ & narcoseos nepenthes accusas? quo argumenti robore? Mendacio & plumbeo ab opio argumento. Opium est narcoticũ nociuum facultati cumprimis animali: E. & opiatum & quiduis inde cõflatum, sed tibi negatur consequens: Nepenthes enim non solum depuratum opium & omni maligna qualitate exutum recipit, sed & cordialia & cephalica eximia. Effectus id arguit idem & negat omnem narcosin & noxam. De qualitatibus opii, & vtrum Turcarum Maslach sit opium verum nec ne, huius loci & temporis non est. Meam audies sententiam in examine theriacæ, quo te ablegatum volo, si vis. Antequam autem te dimittam & non vacuum, bonitatem & vsum tutum opiati ex clariss. D. Musclagia Cæs Maiest. medico addisc : Is opium contusum lauat & affusa aqua coquit, restibili succo mellito addendo species diambræ. Cuius nepentheos & opiati simplici filo parati vsum tutum nos plerique experti sumus, admirantes simplici coctura opio malignitatem illam narcoticam demi, & adeo benignum fieri & innoxium.

4. Tinctura Rhebarbari.

Et hanc allatras canis liuide. *Spiritum vini habet: E. in febribus & calidioribus morbis ex bile natis nociuum remedium.* Nociuum? *Bilis calida: E non nisi frigido domanda*, At iam non de alteratione bilis, sed purgatione. Bilis purgatio fit per rheum: Hoc calidum: simile itaque curatur simili. Inconuenientius autem quod Spiritus maluatici subiectus. Quomodo? quia calet is. Caleat. Calor spiritus rhabarbaro tinctus nullu febrili calori accessionem potest facere, ideoque etiam innoxius: vin' caussam? Habe, cape: non enim more tuo, quidvis sine probatione proponam. Quia caloris, qui est in spiritu vini maluatici rheubarb. inprimis imbutus consentaneus non est, & similis calori febrili, sed contra-

rius, aduersus. Alius enim est calor rheubarbari, alius spiritus vini malůaticì,& vterque febrili ac morbifico contrarius. Inanis ergo tuus metus, ceruine vir, de caloris additione, augmento. Accedit & hoc; me nunquam tincturam solam exhibuisse, sed conuenienti liquori admixtam. Acrimoniam spiritus succi rosarum affusione retundi negas?Cur? quia succus rosarum amariusculus. Et quid præstant rosæ, frigiditate præstant & odore. Imperitiam prodis tuam, vesane medice: Succus rosarum depuratus amariusculus? Sit ita: ideone non retundet spiritus acrimoniam, quam ego tamen nego spiritui inesse rite distillato? Frigiditate præstabit id? Si frigiditate rosarum succi spiritus castigatur, vtique succo rosar. castigabitur. At prius concedis. E. & hoc. Sed non tam frigiditate, quam humiditate rosea spiritus multum alteratur; vt certe caloris metus inanis & friuolus.

5. Extractio aloes specifica.

Ex Italorum penu depromtam hanc vociferaris: vnde & quomodo? Alia est compositio Romæ medicantium, alia mea: Non ergo exinde mihi. Incorrectam satius putas si reliquissem; Reliqui quicquid est Italorum: Istud extractum mihi ex communicatione Quercetani: Et quia alia ab Italorum extractione, certum est, Quercet. neque ab Italis nec hos ab illo accepisse nobilem hanc extractionem. Calumniaris me in lumina Italiæ, quæ noui reuerentius habere quam tu, inuectum: Tibi nec Italus nec Gallus, nec Belga nec Germanus satis doctus: Eminere tibi videris his omnibus: Idem testimonium mecum dabunt omnes viri boni & docti, qui te norunt. Te punctum Italorum nominatione volo & non Italos, qui nihil aduersum me, quia vbiq; nil nisi Italicos crepas mores, cantilenam, medicinam: totus Germanus natione, in Italum transformatus: vtinã animi docilitate, ingenuitate, doctrina talis: Apage sis calumniator. Lucrũ & quæstũ nefarium mihi in apologia battologica obiectas vbiq;, ægre forsan habens me Dei benedictione ditiorem te. Diues aũt is satis qui sua sorte contentus. Tu non cum tui similibus nisi multa millia thalerorũ iactitare consueuisti: vtinã cacares aurum & argentũ & vtrumq; tibi cibus cotidianus: saginationi optime precarer ego. Sint tuæ diuitiæ tibi: nebulonẽ interea te esse ex his arguitur: Me Ratisponæ per fas & nefas diuitem esse factum, proclamas: Hoc aut verum est, aut mendacium nequissimi hominis exspuentis hæc verba: In his minus exercitatus sæpe cum numerosa familia panem atrum ex hesterno iure deuorare cogitur. Hic obiicitur penuria, paupertas, numerosa soboles: illinc

illinc diuitiæ: implicat certe hoc contradictionem, hoc est, mentitur Oberndorfferus. Sannas sannio tibi tuas: Pauperies atro pane significata hactenus, Dei gratia, mihi nulla. Si fuissem pauper & cum familia numerosa alendus pane atro, si bonus vir esses, mihi tamen non exprobrandũ foret: Pauperies enim nulli dedecori. Mihi quidem, Dei gratia, numerosa soboles, sed diuina benignitate te diabolice rabiente & tuis, feliciter alta & honeste sustentata. Quanquam pro dote filiæ singulæ non valeam sexaginta millia florenorum, vt iactitasti passim producendis etiam num testibus viuis, numerare. Tibi & tuis geminis liberis opto bonorum perpetuitatem: At male parta male dilabuntur. Exempla tibi cottidie a Deo ob oculos ponuntur, si sapere vis & perpetuantes numos, ne cogantur liberi tui vorare atrum panem, resipisce, ac desine tuas diuitias per fas & nefas collectas inique conuitiorum, mendaciorum, iniquitatis cumulo aggrauare. Peccata enim ista tua quæ in me admittis, conuitiando mihi atrociter & publice mentiendo turpiter calumniando iniuriosissime, peccata ista grandia & inaudita nunquam manebunt impunita inultaque: Deus non mentiri potest. Si in te capulari sene non vlciscetur Deus, at certe in filiis & filiabus: *Ego enim sum Dominus*, Exodi 20. *Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrũ in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me & custodiunt præcepta mea.* Caueas itaque tibi, ne Deo te certo certius punituro liberi tui, & paucitas familiæ atrum panem ex hesterno iure (hæc enim tua in me meamque familiam verba) vorare cogantur, calumniator. Ad resinam catharticam.

Oberndorfferus Rulando diuitias per fas & nefas corrasas obiicerat: iam pauperiẽ & panem atrũ.

6. Resinæ catharticæ examen.

Satis pro imperio, beane, cum caluitio tuo Ambergensi. Dosin notem? Tibi & tuo caluitio? Non est expressa dosis singulorum ne peccata patescant: Oh calua sedulitas, calua æquitas! An tu mihi præfectus magistratus, cui omnia in os ingeram impudicum, fallax, mendax? Miraris, me post sublimationem resinam appellare? Miraris? Desine mirari: quandoquidem tu post effutita mendacia & calumnias mendax & calumniator haberis. Purgandi vim non ascendere, sed in fundo remanere forte, baccharis. Baccharis vere: Argumentum scil. præbes imperitiæ, stultitiæ, nequitiæque. Vis purgans diagridii & forte etiam opoponacis consistit fere in terrena quadam substantia, quam chymici salem vocant: quam trepidans oblatrat. Fere vis purgans in terrena substantia consistit, nec ascendit alembicum. Si fere, aliqua portio superorit in sulphure, in mercu-

rio chymicorum. Vtrumque autem tua sponte facilime fertur in sublime. Te ergo concedente aliqua vis purgans illis inerit resinis per alembicum sublimanda. Argumenti nihil præbent extracta, decocta, infusa, sublimata in fundo restibilis virtutis purgantis. Argumentum hoc potius difficultatis & artificii singularis virtutem purgantem valentis sublimare. Oleum quod destillatur ex aloe, rheubarb. &c. egregium & multis arcanum purgans. Oleum est: non ergo omnis virtus purgans in terrena substantia, in sale, vt tu nugaris, sycophanta: Purgans quoduis assumtum vulgariter fabricatum sese, vndiquaque diffundendo & in accessa permeando operatur terrena substantia in ventriculo & intestinis restagnãte (id quod catapotia, quæ post validam purgationem sæpius integra sunt vel vomitu vel aluo reiecta demonstrant) argumento scil. spiritib. cathartieis hinc inde diffusis purgationem perfici, nõ terrena substantia inerti atq; mortua eiusque penetrare nunquam valente. Si itaque corpus humanum catharticum sublimare potest, vos non artificium chymiæ? At illud: E. & hoc, calumniator. Accedit & decoctionem, infusionem, facilime inbibere in se infusorum purgantium purgantem facultatem, humi residente terrena substantia omni virtute ferme vacua purgante. Sed ne in plures paginas excrescat refutatio apologiæ tuæ battologicæ, abrumpo, & tibi Fortunam reuerenter habendam consulo: Tollantur in altum vt lapsu grauiore ruant. Quid si ruerẽt? In sinu gauderes scurra tuo; Si placet Deo, ruam: Fortuna variabilis. Ego ista in altum sublatione qua me pungis ganisum sum nunquam: Quia vero ita Deo placuit, placebit forsitan me a lapsu grauiore eidem clementer præcauere. Tibi calumnianti mentienti debetur interim longa litera.

Ventriculus potest medicamenti assumti vim purgantem sublimare, vel re citroq; spiritus catharticus dispergere; Cur non & chymia.

7. Spiritus Catharticus.

Misso genuino & descripto in Elencho Progymnasin. spiritu, aliũ mihi, calumniator effrons affingis, & vt homini mendaci fides habeatur, meã prætendis manum. Manum meam non negabo, perfide: Non n. tam perfidus ego, ac tu es. Olim præscribebam pharmacopœo aliquot formulas extractorum, desiderans distillatum in primis, patientibus delicatulis gratum: Non autem omnium elaborationem subiuit pharmacopœus ac ne potuit quidem. Fors ex disiectis chartulis & talis tibi obrepsit formula per insidias omni conatu cum tuis in mea medicamenta irruenti. Sit itaque & hic spiritus in vsum ductus: Quid merui, conuitiator? *Habet multa cathartica violentissima*: E. *nocentissima*. Connexum tibi hactenus negatum & pernegatum & ostensum medicamenta ista malignitate sua liberari, corrigi in vsum rite duci: salutaria itaque. Retorqueo autem tuum delirium

lirium & conuitium in te ſcurra: *Quæcunq; medicamenta habent diagridiũ, collocynthidem, elleborum nigrum, turpethum, medicamenta ſcil. venenata & nocentiſſima, illa ſunt exterminãda, damnandaq; noxa & periculi: Pilula Coch. pil. aurea, de agarico Meſuæ. pil. Inda. ex hermodactylis maiores, pil. e lapide cyaneo, e quatuor rebus magiſtrales, ex opoponace, ex Serapino, pilula fœtida, lucis maiores, pil. de nitro, pil. ex euphorbio: confectio hamech. Elect. diaphœnicon, Bened. laxatiua, diaturbith cum rhabarb. diacarthamum, hiera Logadii, hiera Pachii &c. colocynthide, diagridio, belleboro nigro, turpetho, hermodactylis ſunt ſaturatiſſima. E. expungenda e Diſpenſatoriis hactenus in Rebusp. bene conſtitutis approbatis & omnis noxa periculiq; damnanda.* Curſita iam ad caluitium calumniator & quære miſer Doctor emplaſtrum, ad exulceratiſſimum tuum os oblinendum: Siquidem ſatis tibi non ſis ſed caluo indigeas calui auxilio. O propudium! Hiſtoriolæ tuis nugamentis appictæ eius valoris non ſunt, vt Spiritum catharticum infament. Fallacia accidentis eſt & notatur iterum vſus prauitas. Extractum cochiarum quod tibi in vſu quotidiano ex colocynthide & diagridio, nulla prorſus correctione addita malignitatem & venenoſitatem tibi obtundente eſt abunde conflatum. Si ſemper eundem ſortitur effectum & euentum, quod hiſtoriolæ tuæ narrant, cur non nauigas cum tuo extracto Anticyras, aſine? Extractum Magenbuchii in Diſpenſatorio Noriberg. cur non iiſdem conuitiis diuexas: Eſt enim meo Spiritui ingredientibus par, calumniator? Hiera Pachii quãtum habet colocynthidos? At celebratiſſima tibi, tuaque farinæ hominibus: Scribon. Largus Pachio tribuit: Is tamen non fuit primus auctor ſed prudens celebrator, qui cum ex ea plurimum lucrifaceret tanquam ſecretum quoddam non reuelandum eam apud ſe vſque ad mortem ſeruauit. Eo mortuo delata eſt iuxta formulam deſcriptam ad Tiberium Cæſarem a quo Scribonius habuit, quã ante nulla arte extorquere potuerat. (En, Thraſo, difficultatem veterũ in communicandis ſuis remediis) Sanat enim inquit Scribon. *l. de comp. medic. c. 23.* epilepticos, vertiginoſos, furioſos, cephalalgicos, ſuſpirioſos, anheloſos, incubo & aliis diuerſis oculorum, aurium, & capitis affectibus obnoxios. Stomachum quoque optime purgat, affectiones Epatis emendat, lienis ſaburrã tollit, illiuſque duritiem lenit, inteſtinorum morbis auxiliatur (quorum tu affectus & erotionem, procreare garris) futuras aut iam factas in illis partibus vomicas aut diſcutit aut celerius aperit & menſtrua mulierib. mouet, quæ difficulter purgantur. Atque tot de colocynthide ſaturatiſſimo medicamento effecta bona, ſaluetiferæ? Et tu arrodere auſis conuitiator? Sed depuduiſti: Improbitas tua, nequitia, petulantia omnibus bonis

Medici Græci lucrũ magnum fecere ex vulgari medicina.

& intelligentibus iam patet in propatulo. O propudium! Rhodoctagma solutiuum mordet ob diagridium. Carpit intermissam dosin & pondus. Verum quia abunde supra est responsum quoad diagridium, & blatero eius doctrinæ, bonitatis, prudentiæ non est, cum quo bonus vlterius conuersetur, ad Cynosarges ponderis illatio intermissi.

Anacephalæosis.

Absolutis remediorum Rulandin. non ingenuis, sed fraudulentis; non doctis, sed infatuatis; non probis, sed improbis; non iustis, sed iniquis examinationibus, ἀνακεφαλαιώσει ex virulētissimis cōuitiis, atrocissimis iniuriis, mendaciis apertissimis consuta concludit nequissime Oberndorferus, pharmacopœum Henricum Erndlinum Cæsareæ Maiest. SSæ. iam a pharmacia Hermetica æque iniuriosissime perstringens, vt eundem, ita & me stellionatus præuaricationum sine omni rubore audacissime accusando, damnando. O scelus! o flagitium! Hoccine boni hominis adeo impudenter calumniari? Christiani ne atrociter adeo conuitiari? Estne Senis, quem, si quid aliud, virtus, veritas & verecundia decet, adeo enormiter mentiri & iniuriose? Vbi pudor tuus, vbi frons tua, Oberndorfere? *Ab agro nobili pharmacopœum Erndlinum 700. Florenos accepisse, & dimidiam partem mecum diuisisse:* O mendacium, o propudium! In publicum audes, Oberndorfere nequam, tam aperte mentiri? Stellionatus, præuaricationis me damnare? Vbi argumenta tua, vbi probationes? Verba mendacia, vana, iniuriosa, contumeliosa. At verbis non consistit probatio, blatero: non tuis; mendax enim es, imo impudenter mendax. Tuum caput, tuum supercilium, tua frons corrugata, tuum caluitium, tua simiæ simillima facies olere malitiam, clamitare nequitiam, & naturam mendacem videntur. Nonne ab imis vnguibus hircolorum pedū fœtidi senis vsq; ad summum verticem (si quam coniecturam affert homini tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis; mendaciis, auaritia, superba arrogantia constare totus Oberndorferus videtur: qui idcirco capite & mente semper est abrasus, ne pilum vllum boni viri habere dicatur. Taxationes remediorum, quarum me reum peragis inique & mendaciter, non fuere meæ, calumniator: magistratus Amplis. id officium. Si peccauit pharmacopœus & toties & adeo abnormiter, vt tute mentiris, quare magistratus non pridem suum fecit officium? Mirum autem, te bonum pharmacopœum Erndlinum, quem olim ad cœlos vsque extuleras, & omnibus aliis prætuleras, iam criminari & non animaduertisse in alios? Si is adeo excessit taxam & iniquum precium postulando deliquit, ditiorem ipsum oportebat esse aliis apothecariis Ratisponensibus: At ditiores sunt alii

Σκιαγραφία Oberndorferi physiognomica & vera.

alii tui Ratiſponæ apothecarii. Nam Caſparus Iung homo effrenate maledicus, ſpacio ſexennii corraſit octo millia florenorum ex diuenditione pharmacorum. Ne dimidium quidem horum poſſidet Erndlin. Sequitur ergo neceſſario, te mentiri & calumniari impudenter, accuſandumque tuum Iungium potius exactionis iniquæ pro medicamentis; te vero impudentis & inſatiabilis poſtulationis ſoſtri damnandum; qui, vt luce meridiana clarius eſt, nullum non nobilem quem curare tibi fors contigit, nullum non baronem, nullum non ciuem, nulla habita ratione honeſtatis & verecundiæ, pecunia, butyro, lino & aliis vtenſilibus deſpoliasti: vt ob iniquam & impudicam exigendi ſoſtri conſuetudinem auaram, in prouerbium abieris & vbique locorum, *inſatiabilis* & *mendax* Oberndorferus appelleris. Nihilo ſecius tam perfrictæ frontis vires, vt flagitia iſta, quibus vndiquaque ſcates ἀνιάτως mihi omnibus bonis probatæ integritatis viro nequiſſime impingas. Auaritia autem flagitioſa non præter rem inſita tibi, iam altiores radices agens, quam vt radicitus euelli queat, niſi a carnifice: Ex paſtore enim natus es & procreatus. Tria autem inſatiabilia Syracidi habentur; *mare, vterus fœmininus, infernus*, & quartum accedit, *Pfaffor um loculus*: Vt τῷ πσιμένι tibi auaritia ex latu parentis contracta: Deſperatus itaque morbus in te deſperato & non niſi barathro curabilis. Prius autem quam te mendaciis atque conuitiis tuis regeſtis onuſtum dimittam. Lectori fraudulentum molimen & inſidioſum Oberndorferi & aſſeclarum propalabo, quo Lector bonus & cordatus intelligere queat, quib. artibus inſtructus Oberndorferus ab hinc multis annis mecum egerit. A viſitatione pharmacopœorum Ratiſponenſium ſuperioribus annis inique peracta conuocati ſunt, præſidente Lupo, aſſidētibus Oberndorfero & Solfleiſchio, laminibus Ratiſponæ ſcil. mendaciis, nequitia & fraude iam celebratis, balneatores, & chirurgi qui vixere tum Ratiſponæ omnes, & horum ſingulus ſacramento interueniente (res enim erat ſeria, Lector, ſacramento ſcilic. confirmanda, ne falſum diceretur teſtimonium) iuſſus ad ſequentes quæſtiunculas probe cuiuslibet diſcuſſa & excuſſa conſcientia reſpondere præmeditate.

Tribunal Ratiſponenſe contra Rulandiatrum cōſtructum.

	Tribunus Lupus.	
Tribunus comitiatus ſeu Comes Palat. Oberndorferus.		*a ſecretis Mart. Solfleiſch.*

Iuramentum.

Deus cœli & terræ, te inuoco teſtem, mihi, me ad interrogata non niſi ve-

rum & exploratum visu, auditu, nullo personarum habito respectu, nullo pœnæ metu, nulla lucri spe, sine fraude & dolo, conscientia mea dictante, responsurum: Ita me Deus adiuuet.

Quæstiones.

1 *Quis medicorum Ratisponensium, intra & extra ciuitatem, in Bauaria, Palatinatu vtroq; omnium maxime celebretur?*
2 *Quid iudicii & censuræ de omnibus & singulis foris feratur?*
3 *Num, Rulandum alios præ se contemnere medicos, auditum?*
4 *An Rulandinæ medicationi exteri acquiescant?*
5 *An Rulandus multum lucretur; & an idem nostro nume, rato & vltro oblato contentus?*
6 *An Rulandus medicamentorum mercaturam exerceat?*
7 *An pharmacopœus Erndle medicamenta carius iusto diuendat?*
8 *Vtrum querela insonent, de taxa eius modum excedente & æquitatem?*

Responsiones

Balneatorum & Chirurgorum Ratisponensium.

I.

AD primum respondebatur, *Rulandum celebrari vbiq;, totam Bauariam, Palatinatum personare Rulando, Rulando.* Ad hoc elogium obstupuere, steteruntque comæ, tribunitiæ potestati alius pallescebat, alius rubescebat, fremebant tergemini, dolitantes vehementer dentibus caninis non posse iam dilacerari Rulandum, & funditus deleri: Ha ha h ? Si pro Rulando, Stercus dentibus vestris conficiendum porrectum fuisset, fors dilaceratio felicior successisset, & liuor cordetenus exactus.

Ad 2. plerique nihil habebant, quod responderent. Ego vero si a tribuno interrogatus fuissem, edixissem, *Oberndorferum, & socium, homines haberi mendaces, auaros, conuitiatores sanniones, rudes, medicos personatos, inexpertos, per mortes facientes medicinam, bliteos, plumbeos.*

Ad 3. negatiue responsum.

Ad 4. Adeo acquiescere, vt nullus non in Bauaria, Palatinatuq; ardentissime operam Rulandi expetat.

5. Quinto & Sexto non nisi ignorantiæ affirmatione erat factũ satis. Quanquam gratius tribunitiæ potestati nequam, si extorquere plura valuissent, & ea, quæ ad fallacias, dolos, mendacia, conuitia, quæ iam hi parturire nequissime occœperant, fucanda fecissent. Pharmacopœum Ernd-

Erndlinum nec defendam, nec excusabo. Ipsemet nouerit suo iure aduersus tuam impudentiam, conuitia, iniurias vti, & iam paratus retorsione aduersus te ibit, docebitq; coram tuo magistratu, te non solum cōuitia mera euomuisse, sed & nequissime mentitum esse, ideoq; nebulonem non tam horulas paucas, cauterisata conscientia, furiis infernalib. exagitandum, victurum, sed & nebulonem in omnem æternitatem perennaturum.

Tertia pars apologiæ battologicæ.

De iuramento Basileæ præstito.

VEsana Oberndorferi nequitia, eo prorumpit sceleris, vt periurii me damnare bipedum nequissimus non erubescat. Iuramenti verba repetantur:

Me in docenda, faciendaq; medicina rationem sensu, methodum experientia confirmaturum, declaraturum: pacta, premiaq; auara, promissa superba fugiturum: pudicitiæ non minus, quam salutis ægrorum, astantiumue rationem habiturum: magicis, superstitiosis, noxiis medicamētis in vniuersum inexploratis, saltem in humano corpore, nec vsurum, nec exoterico cuiq; commonstraturum: omnia deniq; artis opera pietate Christiana suscepturum, conditurum, perfecturum. &c.

Hæc me haud præstitisse criminaris Oberndorfere? vespertilio? Ideoq; me periurum? Periurum me conuitiator? Nego ego & pernego periurium. Tu cum vespertilione affirmas. Affirmanti itaq; incumbit probatio, inprimis hoc loco, vbi de bonitate famæ agitur, re omnium pretiosissima.

Quæ igitur, nequam Oberndorfere, tua probatio? quæ? qualis? quanta? Conscientiam meam producis. Conscientiam? Conscientia autem mea negat periurium, & testatur, te mendacem nebulonem esse, & bipedum nequissimum. Conscientia mihi tam bona, vt apologiæ mēdacia & conuitia rideat, sed DEVM vltorem nequitiæ & maledicentiæ virulentissimæ tuæ, omnibus votis oret. DEVS mentiri non potest. Linguam mendacem iudicabit DOMINVS. Tua & vespertilionis lingua mendax est iam abunde demonstrata. Ergo vos manebit iudicium DEI & viuus infernus, in hac vero vita calamitas, maledictio. Nam vt ἀρχὰ λίνου ita & ψευδολόγων σομάτων τὸ τέλος δυστυχία. *Mendacis oris, finis & calamitas.* At cur conscientiam meam in testimonium periurii accersere audes?

Quo iure conuitiator? Omnes te ridebunt Iureconsulti, & ad carnificis ferulam damnabunt. Conscientia latet abscondita, nec nisi DEO explorata, qui solus est καρδιογνώσης. Nisi caluitium Ambergense tibi suggesserit nequitiam, quod scrinium pectoris diuini perscrutari valet, & hinc expiscari reconditissima. At dubium testimonium nihilominus & mendax. Quia non καρδιογνώσης.

Quicunque igitur *periurium conscientia soli DEO perspecta, hominibus absconditaprobare audet, ille non tam asinus, quam nequam profligatissimus.*

Oberndorferus periurium Rulandi conscient: a soli DEO explorata probare annititur. Ergo Oberndorferus non tam asinus, quam nequam profligatissimus.

Conscientiæ testimonio scelesti Oberndorferi vacillante, profert locupletius, fabulando, *me in præsentia sereniss. Principis ac Dn. Dn VVolfgangi VVilhelmi Comitis Palatini stipulata manu promisisse, bonime functurum officio viri, de Oberndorfero ore publico & scripto honorifice sensurum, id me non præstitisse.* Periurum itaq; Rulandum Mendaciorum infinitorum reum te hactenus damnaui, & euici, te mendacissimum. Ex patre diabolo itaq; es. Ille autem homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Ideo non est veritas in eo. Itaque nec in te esse potest. Non mirum igitur, te mendacia mendaciis accumulare. Me petitionibus intempestiuis de reconciliatione Illustrissimo DVCI molestiam peperisse, mentiris. Mentiris item, *me iuramento interueniente promisisse tum, de te me ore publico, & priuato honorifice sensurum.* Mentiris dico. *Saxonicos Legatos, Palatinos consiliarios, me sæpius precibus interpellasse, quo reconciliationem inter me & te fabricarent*, mendacium apertum esse, ex Clarissimi Gödelmanni epistolio, tum Legatum agentis, æquus Lector dignoscet, & est hoc:

Impudentiam Joannis Oberndorferi miror, mi Dom Rulande, quod scribere publice non erubescat, te apud me, vel apud reliquos Legatos Electorales, reconciliationem sollicitasse. Te non nisi inuitum ad reconciliationem istam esse pertractum attestor.

Joh. Gœdelmannus V. I. D. & Electoralis Saxon. Legatus Praga C. P.

Iterum mendacii conuictus nebulo Oberndorfere. Nondum erubescis hircose senex? Erubescis? Vah depuduisti? Ad desperationem mendax es. Palatini Consiliarii, nobiliss. D. Zeschlinus, D. D. Theodoricus, Illustris Dominus Herzstendizgi te æque mendacii redarguent fate-

fatebunturque *non nisi nolentem me tibi reconciliatum.* Impudentia tua,& calumniandi mentiendiq; libido innata tibi, ideo immedicabilis, iam olim erat perspecta,itaq; quasi ab alta specula præuidere poteram, reconciliationem istam fore momẽtaneam,nec te deinceps sibi, a mendaciis, & calumniis temperaturum. *Si enim diabolus,non nisi mentiri potest, ita ex diabolo nati.* At *tu filius diaboli.*Ergo *nõ nisi mentiri potes.*Caueat itaq; quilibet sibi abs te bonus. Fateor,me serenissimo Principi, manu, quam S. C. clementissima tractione arripuerat, mea promisisse,*me,& te boni viri officium facturum,& a calumniis & mendaciis abstenturo, nec verbis nec scripto te offensurum,res inter nos controuersas duntaxat actur um:* Hæc erant verba promissionis,Oberndorfere,mendax. Conditionalis erat pollicitatio. Te non offendi,& offendi nunquam. At quia tu fidem datam fefellisti,&factus es periurus; meum erat,offendentem excipere,& tractare iis,quibus dignus est modis. Violasse autem fidem, probatur. Vix mensis a reconciliatione vnus & alter est elapsus, Ratisponensem studiosum,qui iam *miserum Doctorẽ* se profitetur beanus,Michaelem Gichtel affinitate tibi iunctum,vt aiunt,Basileam misisti:thesibus, stolide conscriptis & nugamentis instructum,quibus me aperte perstrinxit, & non solum hoc (esset namq; tolerabile) sed & corollarii loco affinxit tuo cõsilio & suasu,*Cingulum mercuriale esse nocentissimum remedium: puluerem angelicum ex antimonio esse,& ideo medicinam exterminandam.* Nec hisce contentus,sed cum in disputationis velitatione acriter propugnaretur medicina vtraque,opponente meo fratre Valentino Rulando, medico Palatino iam,& tuo emissario hæreret aqua, nebulo in hæc erupit verba, quæ de publica cathedra,in corona præstantissimorum virorum.

Oberndorferus periurus, quia fidem sereniss DVCI Palatino datam violauit.

Peruulgatum esse; *Rulandos Ratispona per mortes facere medicinam:*

Nostra medicamenta non nisi venenosa esse.

Et hæc sputa ex te finxit Oberndorfere omnia ex tuo suggestu. Itaq; iterum euictum,*te fidem violasse serenissimo DVCI Palatino hic Praga datam.* Periurus igitur tu,Oberndorfere, & mendax, idq; probatum non conscientia tua;quæ certe ita flagitiis contaminata est,vt iis obruta sopita iam iaceat,& non nisi cacodæmone excitanda, sed testimonio locupletissimo & omni exceptione maiori. Non iam dicam,de Iuramento in Italia præstito tuo,quam consentanee ei te gesseris,quam turpiter& perniciose medicinam exercueris,pudicitiam,verecundiam,castitatem obseruaueris,non dicam iam quicquam.Propudium enim sat in publicum protractum tuũ:hoc dicam tamen:Postquam ante annos triginta in Italia promotus es Doctor,accipientibus Italis pecuniam, & mittentibus

asinum in Germaniam, coactus es iuramentum fidei præstare, edicente id Pio V. Papa, & iurasti *te Catholicæ Religioni Romanæ velle addictum esse, foreq́; Catholicum, non Lutheranum, sed Pontificium.* Hoc fuit iuramentum & est etiamnum omnibus in Italia promoturis idem tenendum. Iuramẽto huic fidei fecisti ne satis? satis? Lutheranus es, aut Caluinista. Quamquam te Caluinistam non credam: Bliteus enim es, & plumbeus, & talis non habetur capax tam subtilis religionis. Lutheranus ergo & crassus Lutheranus. Et quia talis, & hæreticus, periurii reus, periurii damnãdus es. Ad rogum igitur, ad ignem cum periuro, mendaci & crasso hæretico Oberndorfero.

Quarta Pars de epistola ad fratrem Andream scripta.

I. *In Genere.*

PRæter meritum tuum omne, ingrato & crudeli animo iam reconciliatum me adortum esse te, conquereris. Magno conatu, more tuo, magnas dicis nugas. Præter meritum tuum? Nonne offensionis satis publice, de publica cathedrâ, per emissarium Gichtelium tuum, me, meamq; medicinam conuitiis, calumniis non tam verbis, quam scriptis impetere? Hoc ne præter meritum tuum? Taceo clandestinas criminationes, a quibus nunquam abstinuisti etiam reconciliatus. Quoties crepuisti scriptum hoc apologeticum? tua nugamenta? tua mendacia? Lacessitus itaq; ego multoties. Sed silentio deuorassem tua conuitia, & DEO commisissem, ni Basileæ per emissarium tuum calumniæ tuæ publice repetitæ, & thesibus medicina mea veneficii damnata publicis. Et tu effrons homo præter meritum tuum? O propudium. O scelus? Egone taceam? & stupeam? Et contra hiscere non liceat, conuitiator? Ne tibi persuadeas vnquam, me adeo stupidum esse, adeo insensilem, vt ad tantas criminationes obmutescam. Ingratitudinis me accusas infernalis bestia. Cuius ingratitudinis? Tua in me beneficia? Quæ? quanta? qualia calumniator? Nullum, nec fateris vllum tuum in me esse; ideo nequam es, quod me ingratitudinis damnas, & spermologia chartas imples, & fucum veritati claræ oblinis. In fratrem beneficus? *Reuocasti enim ipsum ad vitam iam moriturum.* Ohe Oberndorfere? Mẽdax es, & euictus iam, quis igitur tibi fidem habebit, sine testimonio? Asseris & confirmas quidem, sed verba sunt vana, mendacia, a mendace, futili, scurra profecta.

De *Febre maligna Vngar.* qua tenebatur frater, nugaris subsultim, risuiq;

suiq; te exponis omnibus doctis. Satius fuisset tacere, quam friuolum vnum & alterum effutire. Si tibi curdi veritas & crambe bis cocta tibi non mors, qua morbi Vngar. tractatum recognitum notas, cur non missis cõuitiis & mendaciis refutationem eius es aggressus? Defectus tibi virium. At munitus es satellitio a mẽdaciis, cõuitiis, ruditate bene instructo, cudere quidpiam laude dignum & lectione, si viri boni, animosi aduersus me hostes voluissetis videri, oportuisset. Sed fratrem vrges, *febre maligna penitus oppressum ad vitam te reuocasse*: Reuocasse ad vitã? An frater mortuus, Oberndorfere? *Reuocare ad vitam* arguit mortuum. At *frater non mortuus*. Mentiris itaq; iterato. Sed & mendacium *fratrem te restituisse*. Nam dies critici omnes iam præteriere; & certissimum, ipsum in declinatione fuisse. Quomodo igitur, febris malignitate obsessus esse potuit? Fœlix medicus, qui in declinatione. Itaq; tripudias asine, ob curatum fratrem, iam febris malignitate defunctum. Curationem quilibet medicus consideret meam, & iudicet. Impudentia iactabundi Oberndorferi patefcet protinus. Sed largiar tibi, te fratrem Andream restituisse (quod tamen mendacium est) an frater erga te vnquam ingratus? an iniurius? Indignissimus tu, gratitudinis ea significatione, quã frater dabat, & honore, quẽ exhibuit tibi. Sat ergo frater gratus, pro nauata egregia tua opera, & fideli scilicet, per triduum, præstita. Abs te autem ego accepi beneficium nullum. Stulte itaq; mihi obiectas ingratitudinem. Negato enim beneficio accepto, negatur ingratitudo asine? Atqui nec sic ingratitudo vtriusque probari potest, & nobis exprobari, beneficiis licet affectis abs te? sunto beneficia tua in nos, quæ tamen sunt nulla, nulla prorsus. Tua conuitia, calumnias, mendacia propterea ne verebimur cõundere? Euictum iam & irrefutabiliter euictum, te nos iniuriosissime offendisse, nequissimeque. Beneficia, si quæ essent tua in nos, quæ tamen plane nulla sunt, defensionem iustamne prohibebunt? Beneficia ne cõuitiari atrociter, maledicere acerbe, famam bonorum virorum omnibus turpitudinis notis denigrare? Maleficia malefici hominis, supplicio retundenda. (*Vnum perfidiæ & ingratitudinis tuæ exemplar*) Quæ perfidia in me Oberndorfere? Ingratitudinis nota, quam mihi imponis scurriliter, iam est abstersa, deleta. Mentiris enim te fecisse mihi bene vnquam. Valeat itaq; obiecta ingratitudo? At vnde perfidia, per fide negnã? Spuis conuitium. Dicis multum & probas nihil. In te itaq; perfidiæ crimen retorsum. Crepas potentiam tui emissarii, in retundendis meis nugis suo tempore conspicuam. Emissarius tuus retundat grunnitum porcorum paternorum, & post tuas & suas futilitates, quibus non sine risu do-

ctorum virorum me adoriri non dubitastis. Si vobis & caluitio suo superesset plusculum virium, haud famosum hunc libellum aduersus me nefarie curassetis diuulgandum. Extremi hi vestri conatus, & abominabiles, ideo extremo carnificinæ remedio profligandi. Andreæ fratris promotionem vellicas, emissarii tui lauream anteferendo. Emissarius tuus vix a limine salutauit medicinam, & creatus est Doctor. Frater testimonio facultatis Tubinganæ instructus Basileam abiit, testimonio vitæ & eruditionis, & vero testimonio. Tali testimonio destitutus tuus emissarius censeri neutiquam potuit, laurea doctorali dignior. Sit tamen censura penes Facultatem Basileensem. Tua improba est, quia non a bono viro.

2. In specie & particulatim.

S*iue enim quis thrasonicam iactantiam, maledicentiam, impudentiam contemplari velit)* Vitia ista in me Oberndorfere? Ex tuo me iudicas cerebro. Thrasonica iactantia in te, maledicentia atrox, impudentia profligatissima. Hi mores tui, hæc vitia tua, quorum messem metis iam, in apologia iniuriosissima, vberrimam.

Viperini ingenii me insimulas) scilicet, quia Oberndorferus virus venenum in Rulandos eiaculatus, notam viperinam a se amoliri, & in Rulandum transferre attentat. Os tuum maledictione, amaritudineq; plenissimum esse, Apologia tua liquido contestatur, aliis argumentis iam prætermissis. Quale autem os, tale Cor. At os tuum maledicũ, impudicũ, mendax, & hoc euictum hactenus; Cor itaque tuum non aliud, nisi viperinum. Ex abundantia cordis os loquitur. Hinc vehes calumniarum, conuitiorum, mendaciorum. Pulueris viperini seu colubrini desideriũ, quid ad ingenium viperinũ euincendũ beane? Deliras seniũ hircosum. Puluis viperinus, antequam te vidi, mihi fuit exploratus, & melior tuo: Et is ex Quercetano mihi; excellentior ex Cæsarea Maiest. At sors ex suo inditio periit. *Pro reuelando isto tuo puluere colubrino pollicitum me esse Magistro mallearii Titeldorfensis multum,* mendacium est: Hominẽ non noui, nec locum. Et quadriennium iam est, quo Pragæ vixi, nec ab eo tempore Palatinatum reuisi. Frater Ioannes, qui iam prouinciarum Vngaricarũ medicus, cum Egræ esset, puluerem colubrinum Ingolstetteri mihi deprædicauit, & copiam eius misit. Examinatus nõ nisi sal fuit colubrinus. Nobile nobilis viri medicamẽ, dignum ob quod tripudiet. Nouum hoc tibi & vespertilioni aucupium, & aucupium inanis gloriolæ, famæ, auri, argentiq;. Habeas itaq; tibi hoc arcanum, capias tibi, & deuores emendicatam ad nauseam caluitium effrons, rude, debacchans.

Siues

(Ciues Ratisponenses desiderio tui angi) sannio, apagesis, cum sannis tuis. Non est thrasonicũ hoc, quod scripsi, non iactabundum. Scriptũ eo, quãdoquidẽ me ac usfasti perniciosæ praxis, venenatorum medicamentorũ cũ tuo viperino satellitio; iure scripsi hæc. Si n. mea medicatio, vt calumniaris, tãtopere perniciosa foret, haud exteri, haud ciues Ratisponenses mẽã operã ardenter efflagitarent. Quod thrasonicũ est, mendax est. At hoc verũ, & si dubitas, ostiatim inquire verũ, & probabit tibi verũ. Siq; Deo ita visum fuerit, redire possum, nõ ad emulgendos ciues (calumnia n. tua in me, qui neminẽ emunxi numis, regesta itaq; tibi iterũ) sed ad curãdos probe, & desideriũ ipsorũ explendũ, te calumniatore virulentissimo, ad tartara prius præcipitato. Pragensis messis te in maledictione obfirmat, ægreq; habes, tibi, Germaniæ Principũ archiatro nõ cõcedi tñ facultatis. magnatibus centones farciendi, optimates, corpore & anima expurgandi, primores pecunia euacuandi, & qui semper alta spiras, animum arrogantissimum superbe attollendi.

Quanta praxis vestrũ omniũ) Fatuitas hęc, fatue Oberndorfere? fastus? stultitia? De meipso nihil pdicaui calumniator; ideo nihil deforme mihi impingendũ. Cæsareæ Maiest. S S. mederi, nõ iactatoris est, nõ gloriosi medici, aut militis, sed officiũ suũ pstentis. Tibi & tuo sodalitio habebar *Cæsaris βάναυσος, carbonarius, & nescio quis.* Hoc meũ officiũ, quod definiam, calumniatori gloriosus, fastuosus, stultus sum. Honoratiorẽ me aliis habes sañio sc. ideo carbone nigro notãdus, infami libello spurcissime denigrandus. . Medicus, qua medicus, vespertilio, *Gal. lib. 9. de plac. Hip. & Plat. c. 6.* sanitati consulit. Qua vero, ob aliud quod hoc agit, aliã habiturus est appellationẽ: quippe cũ nonnulli lucri caussa, medicinã exerceãt &c. gloria alii & honore allecti, &c. At cõcessis & his, non negatur tamẽ, vespertilio, medicũ medicinã rite exercentem, medici boni titulũm gerere, gloriæ vel lucro licet studeat. Ego nec lucri spe, nec honoris, nec gloriæ caussa acquirendæ amplioris Ratispona ad Cæsaream Maiest. accersitus. Vocatus veni, & pro mea tenuitate S. C. Maiest. κατὰ δύναμιν καὶ χρίσιν ἐμὴν inseruio humilime. Si est honori seruitium mihi, tu cum satellitio tuo peruerso nihil, & ne tantillum ei detrahetis criminationib. vestris, si lucro, nec illud vestro nefario molimine interuertetis. Lucro, quæstui, gloriolæ vanæ te iam olim, vt etiamnum inuigilare vigilantissimum, palam est. Gloriosus ergo & quæstuosus medicus, & pyrgopolinices. Ratispona n. cuius alumnus eras, & atrum panẽ ex hesterno iure vorare coactus, cũ tuum auarum & insatiabilem animum exaturare nõ valuisset, omni dolo & fraude, literas ex proceribus Styriæ extorsisti, quæ te, *(Lux mundi.*

enim tum habebaris) eo auocarent, & medicum opulentiorem gloriosiorem, deterioremque in Styria constituerent. In te, in te itaque locus Galeni optime quadrat, tua sorte neutiquam contentum, & Reip. Ratisponensi ingratissimum stipendiarium. Iam dispice, vtrum mihi sit cerebrum in imo, an in summo fatue Oberndorfere.

Tua medicina nusquam vllum gertium mortuum) Omnes sanare impossibile. Nec fassus me omnes sanasse. Tu perniciosæ medicationis, vt clare & liquido patet, me insimulas. Si perniciosa, est, vt probes. Tibi enim futiliter dicenti, & nuganti non habetur fides. Iam enim euictum, te mendacem hominem esse, & calumniatorem.

Schrenckium, mercatorem Ratisponensem recordare) Recordor illius & solius. Verum, quia mendacem refers historiolam, & ego tibi reus, nec mearum partium, de casu iudicare, rem, prout se habet, narrabo breuiter, censuram toti mundo committens. Mercator Schrengkius sexagenarius, homo vigilantissimus, & laborissimus, me noctu vocat ad se. Discursitat huc illuc, conqueritur de dolore capitis, destillatione ad maxillas, pectus, humeros, de odentalgia, de difficultate respirationis. Symptomata videbantur mihi catarrhi suffocatiui, aut apoplexiæ imminentis. Affectus erat ἐν τῷ γίνεσθαι. Reuulsionem frictionib. & lotione pedum perficiendam suasi, tum clysterem. Hunc respuebat, frictionibus & lotione pedum contentus. Redii domum, mane reuersus, & idem symptomatum deprehendens, clysterem omni studio suadeo applicandum. Abnuit. Aluinæ itaque regioni euacuandæ bolum hunc deglutiendum decerno: ℞. *Extract. aloes rosat. drachmam semissem. Extract. diacatholici Grana* iij *Ol. anisi Gr.* ij. F. bolus, quem deglutiuit hora VII. matutina. Cunctante operatione, post quatuor horas misit ad pharmacopæum, vt fortius medicamentum daret, eundem rogauit. Pharmacopæus negauit sui esse officii, medicum esse consulendum. Me tum visitantem ægros domi non offendit. Decima antemeridiana, moram operationis ægre ferens, in sella sedens subito expirauit. Vocor, & in sella defunctum video, ore diducto. Ad vos, boni viri, & medici, ad vos appello, iudicare dignemini, vtrum mea medicina mors mercatori sit accersita necne.

Taceo aliorum) Quorum, calumniator? Repplium mercatorem intendis? Ad is mea medicina neutiquam periit. Clysterem vsurpauit, & purgationem, administrante vtrunque pharmacopœo, me peregre existente. Domum reuersus vocor bene vesperi ad ipsum, narrat, *se incurrisse iterum, abeunte me peregre, in dolores colicos, & constipationem, & consilio pharmacopœi vsum se clystere, & iam ordinaria purgatione. Deterius autem*

se inde

se inde habere. Atque postero die obiit longitudine colicæ & atrocitate dolorum confectus. Si vir bonus, si guttula veritatis, pudoris, honestatis in te, Oberndorfere, produc non plures, non alios, sed vnicum, vnicum, cui mea medicina nocuerim damno irreparabili illato, mortisq; caussam qualicunque modo præbuerim.

Maledicendissimam calumniam tuam) Ego in te nunquam maledicus, o calumniator, nec conuitiatus tibi, recensendo quosdam cũ DEO viuentes, viros nobiles & illustres. Quam enim calumniam, quam maledicentiam ex his verbis extorquebis conuitiator? Dicat tibi emissarius ille, quorum medicina, *Sulphureus, Portnerus, Praschius, Moroldus &c.* excacauerint animam? Catalogone horum te notaui? Proba? Conscientiæ fors persentiscis aculeos. Canis lapide petitus latrat. Te infamare nolo. Et dico ægre, quæ dicam prouocatus, non in offensionem, sed defensionem honoris mei & famę, sed dicenda tamen sunt. *Sulphureum* notas, & insulsissimum me Grammaticorum omnium indigitas, dignũ, vt more beanorum, & asinorum fustibus cædar; Iniuriarum item me accusas, damnas. Quo prorumpis audaciæ & impudentiæ Oberndorfere? *Sulphureus* iniuriosum tibi? Proba calumniator? Tua pudenda obtegere volebam, & Germanicum cognomentum prætermisi. Sed quia vis, tua illa retecta esto. Tò *Sunebelius* si a *sunebel* germanico, vt mihi videbatur, & notatione Germanica patet, latine reddendum, amabo, quo alio, quam meo exprimes vocabulo. *Sulphureus* non Latinum tibi? Oblitus es non solum Grammaticæ, sed & Latii, ideoque turpe senium vespertilionem cõduxisti, fabricatorem, formatorem tuarum ineptiarum, conuitiorũ. Latinum esse probo. Ouidius 15. metampho. *Nec quæ sulphureis ardet fornacibus Ætna.* Plinius lib. 36. *Cum vritur, odorem sulphureum reddit.* Lorũ itaq; tuo hircoso tergori, & fustes tuo caluitio. Exhorrescis audaciã impiam & sathanicum boatum meum, quod *excacasse animas* dixerim. Exhorrescis. Exhorrescas factum, Oberndorfere tuum, immanissimo homine, indoctissimo, inquinatissimo, corde, ore, & stylo, impientissimoq; dignum. Pharisaicam pietatẽ obiicis stulte: domicilia sunt Spiritus sancti. Ergo non licet proprie loqui, & factum, prout est, verbis exprimere. Domicilia sunt Spiritus S. & ad imaginem DEI condita corpora humana. Ergo prudentius & religiosius tractanda & purganda Oberndorfere. Quid abominabilius, calumniator, morte? quid horribilius morte? At hic domicilia Spiritus S. & corpora ad imaginem DEI creata, destruuntur? Religio propterea tibi, *mortuos mortuos dicere, homines mori?* Quæ religio? Corpora nostra sunt & domicilia sathanæ, quemadmodũ tuum

erat viro, sed solidi nihil, quemadmodum nec tibi, nec vespertilioni tuo. *Imperatoriæ Maiestati commendatissimum?* Quis dicit? Tune? At mendax es. Mentiris itaq;. Tam fuit tuus affinis commendatus Cæsareæ Maiestati, quam serenissimo DVCI Bauariæ. *In Stygia palude hospitem eum faciam, tantum virum? tam pie defunctum?* Quis cacodæmonum hoc mihi affingit? Tute? Proba? Proba? sed iustas. *Ego neminem damnabo, nec stygiæ paludi adiudicabo.* Ad Gal 5. *Porro manifesta sunt opera carnis: quæ sunt hæc, adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, Simulacrorum cultus, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, secta. Inuidia, cædes, ebrietates, commessationes, & his similia, de quibus prædico vobis, quemadmodũ & prædixi, quod qui talia agunt, regni DEI heredes non erunt.* Subsume iam tute, & hoc, *sera pœnitentia, raro vera.* Ego itaq; neminem iudicabo, nec damnabo. At feras necesse est, S. scripturam condemnantem. Accusationes adsunt, querelæ, crebræ, veræ, obuiæ, & probatæ. Vtinã Nilus, Ister, Rhenus, & Albis culpam eluerent. Magistratum amplissimum Ratisponensem ego proscindam traducendo? Egone? proba? Nulla n. tibi fides. Veneror magistratum; Si negas, mentiris. Sit collocatus in consortio damnatorum, quod tamen nondum euicisti, ideone magistratum nobilissimum infamem? Tuus affinis magistratum non attinet. Nec qua solus, magistratus vnquam. Itaque stulte obiectas iniuriam & malitiose. *Insultare mortuis non est sanctum?* Qui vera profert non insultat mortuis calumniator. Cur tu parenti meo, tuo præceptori insultas immeritissime? De mortuis non nisi bonum? Fatue: Cur ergo Spiritus S. de iam olim de mortuis & impiis non nisi male? De Caino, de Iuda, de ceteris malignantibus non nisi male, quia mali. Hoc probandum: de mortuis bonis, non nisi bene, de malis non nisi male:

Ad retorsionem iam tuam.

VAna est tua retorsio Oberndorfere. Qua fronte tu iniurias atrocissimas ad animum reuocatas tibi permisso retorsionis iure vindicare attentas? Quo iure? An retorsio retorsione compensatur? Quæ iniuriæ abs me tibi illatæ? Iniuriosum hoc: Dicat tibi emissarius ille, quorum medicina Spedelius, & Schuuebelius &c. perierint? Iniuriosum tibi hoc? Quia me ex tuo iudicas maledicentissimo cerebro. Nego iniurias & probo:

Quod indefinite dictum scriptumq; id iniuriosum esse nequit.
Hæc mea effata sunt indefinita indefinite scripta, dictaq;.
Ergo *neutiquam criminosa, iniuriosa?*

Propositionem tibi probabunt Iurium gnari, nec meum legum allegatione complere chartas. Minor plana est. Nulla itaque tibi iniuria illata. An hoc iniuriosum tibi? κακῦ κόρακος κακὸν ὠόν? At hoc prouerbio notantur, quoties a malo præceptore, discipulus malus proficiscitur, ex improbo patre, filius improbus; denique facinus sceleratum ab homine scelesto. Ex te profectus est Basileam Giobtelius: Ex ore tuo nata cõuitia publice effutita: *Rulandos per mortes facere medicinam:* tuo nutu corollarii loco, puluis benedictus, cingulum mercuriale veneni, noxæ damnata. Ergo κακῦ κόρακος κακὸν ὠόν, Oberndorfere. Ex maledicentissimo natus maledicus. Iniuria hæc, calumnia hæc! Retorques itaque non retorquendum, sed deuorandum. Ego enim primo lacessitus, punctus, iniuria affectus. Vt, quidquid scripti, in defensionem mei, non inferendarum iniuriarum gratia scripserim. Ne autem retorsio tua fucata, & nullis legibus probanda in me resideat, tuq; me diris modis ad sufficientem probationem lacessas, neq; innocentissimo patre meo, beatę memoriæ, nec fratre, nec me nefarie, atrociter calumniando abstinueris, quamquam ægre ad probationem accedo, en catalogum nobiliss. tuorum patientium, in ἐιλογίᾳ dubio procul iam viuentium excutiam, veritatis graphio.

Nobilissimus Dominus Speidelius prouincialis Secretarius Grætii, qui te in Styriam ad emungendos Styrenses vocauit, promouit, commendauit & ad cœlos vsq; extulit, leui affectus morbo, eoque curabili, medicinæ per se salutiferæ abusu perniciosissimo, breui temporis curriculo, cum luctu Illustriss. procerum Styrensium, & irreparabili religionis Euangelicæ damno, expirauit. Curatio autem huius egregii viri tam praua, tam perniciosa erat, tam omni rectę sapientium iudicio erronea, atque παρὰ λόγον, vt recepta vel formulæ medicamentorum vsurpatorum numellis publicis fuerint affixæ. Tu refige. Consultissimus D. Moroldus, consiliarius Palatinus, affinis meus b. m. ex vnica medicina purgante, te decernente, excreuit toties, vt viribus exhaustus, paulo post vitam cum morte commutauerit.

De nobilissimo Dom. Suuebelio, consule Reipub. Ratisp. optime merito, ac D. Pratchio dicam nihil. Domino Suuebelio nonne idem contigit, vsu tuæ medicinæ, quod Domino Moroldo? Nonne euacuationes enormes, & ὑπερκαθάρσιν miser passus ad mortem, & post

& post mortem? Hypercatharsin characterem asseris, veneni, & venenatorum medicamentorum. At hi vsu medicamentorum tuorũ,& plures coniecti sunt in ὑπερκάθαρσιν ex hac in mortem. O Germaniæ Principum archiatrum? O scelus? O flagitium? Testimonia hæcce experientiæ tuæ toties deprædicatæ? Insignia canitiei tuæ, vera experientia, & laudabili scil. condecoratæ? D. Proschium in sella clysterem tuum euacuaturum exspirasse meministi? At tua omnia tuta, benigna, probata, experta. O tempora, o mores? Hoccine laudabiliter medicari? Hoc medicationis titulo superbire? Hoc curatiônis fuco alios prę se contemnere? Bonorum virorum famam indigne arrodere, allatrare, conuitiis omnis generis perstringere, & ne pie defunctis parcere?

Quid de amplissimo Dom. Portnero? Nõ in hypercatharsin is quidem præcipitatus, sed contrario modo curatus. Vix enim morbum persentiscenti tuus collega, qui se iam *Solfleissium*, olim *Solfleischium* indigitat, comite, vel præsidente Wolfio, (hic enim omnibus facultatibus erat ornatissimus, & nulli non obstrepere etiam solide docto, audaci animo est ausus; non Theologo, non Iurisconsulto, non Politico, non Medico, nõ Sutori, non Sartori vlli eruditione sua cedebat, plane incredibili) exhibebat aliquot purgantia; in calligis sunt asportata, in culinis parata, cocta, frixa, lota, nihil non studiose & laboriose effectum, vt aluus, vt corpus purgaretur. Omnia incassum. Per biduum ita vel triduum circiter curatus, nõ purgatus, multis licet deuoratis medicamentis benignis scil. in Domino placide, omni morbo medicis tum conspicuo vacuus obdormiuit. Gratulor tibi, te tum abfuisse. Fors præsens, quod tuus collega minus, tute magis peccasses. Nihil te attinet hoc? At ad se, collegium enim luminibus, imperitia, ignorãtia, ruditate, fallacia, impostura, mendaciis corruscantibus ornatissi num. Et tale certe, cuius longa experientia, quam iactitatis, & alios præ vobis alto spreuistis supercilio, tum profunda eruditione illustrem Ratisponensem ordinem senatorium, breui curriculo temporis euacuastis, vt vix vnus & alter, veritati testimonium præbiturus superfit. Iam tibi probaui veritatis fundamentis, inuitus & nolens, quæ nullo iure, in me innocentem, sæpius abs te læsum, iniuriatum, lacessitum, retórsisti, non retorquenda. Probaui itaque & in propatulum produxi tuã probatam ab hinc multis annis experientiam, per mortes scil. multorũ exercitam. Nec curo legitimos, quos obgannis, iuris tramiles. Ius hic valoris nullius. Fucus est quem oblinis tuis flagitiis, tuis sceleribus palliandis tibi. Res aperta est. Effectus, proh dolor, conspicuus. Artificibus, non iuri sæpe fucato in arte credendum. Principum, Magnatum curationes

excrementorum varietates iuuant, nisi excrementa in praua commutentur.

Nulla itaque aderat indicatio repetendi cholagogi, negabatur igitur & indicatum, medicaster. At tute tibi finxisti arrogantia & gloriolæ stimulis incitatus Ergo ita curatio cessit, quemadmodum intenderas. Atque ita probatum luce meridiana clarius, te curationum veneficarum, mortiferarumque reum, homicidam esse non tam corporum, quam bonorum virorum famæ furem.


Vt id multo clarius elucescat, concludam hocce ratiocinio.

Cuiuscunque medicina purgante ægri in hypercatharsin, & ex hac in mortem coniiciuntur; ille non solum venenatorum medicamentorum reus, sed & eorundem vsu ansam mortis præbuit præsentem.

Oberndorferi medicina purgante, Moroldus, Swebelius, Speidelius, &c. in hypercatharsin, ex hac in mortem sunt præcipitati. E. *Oberndorferus non solum venenatorum medicamentorum reus, sed & homicida.*

Propositionis probatio incumbit mihi, ne similis Oberndorfero videar, id est, mendax & calumniator. Probo itaq; non ex meo penu, sed ipsius Oberndorferi apologia battologica. pag. 45. *Expultrix*, ait, *vero sopita a medicamenti mordacitate & malignitate excitatur, quæ vt medicamenta valentia sunt, ita fiunt venefica, duplici modo; dum, aut non recte castigantur, vel corriguntur; vel in maiori dosi exhibentur. Et si hoc fit, tum ὑπερκάθαρσις sequitur, id est, sanguis euacuatur, & sæpe mors sequitur*, &c. Pag. 64. *Notum enim est, omnibus recte sentientibus characterem venenorum esse lædere*, &c.

Pragæ 29. August. Anno 1610.



FINIS.